Reuerendi in CHRISTO PATRIS

ac Domini D. Guillelmi Pariſienſis Epiſc. De ſeptem ſacramentis libellus, vniuerſis eccleſiæ miniſtris oppidò neceſſarius, nouiſsimè innumeris mendis repurgatus: & ad vetera exemplaria exactiſsimè reſtitutus.



PARISIIS,

Apud Sebaſtianum Niuellium ſub Ciconiis in Vico Iacobæo.

1560.

ECCLESIAE Chriſti vniuerſis paſtoribus & miniſtris F. Claud. Spinæus doctor theologus S.

INDIGNVS eſt planè Chriſti miniſterio ſed officiis ſacris protinus mouẽdus qui ſuſcepti miniſterij ſui partes ignorat. Quid enim indocto paſtore vel miniſtro ignaro (nõ dicam) ſordidius ſed & periculoſius atq; exitialius? Fieri quippe nõ poteſt, vt rem quam ſacrã non nouit, ſacro contingat animo, manu multominus ſacra. Solet quippe res tãti haberi, quãti exiſtimatur, & pen

ditur. Quo ſit vt res alioqui ſacras, prerioſáſque margaritas (vt in prouerbio eſt) proculcent ſues & porci. Quid mirum itaque ſi ex ordine leuitarum ac ſacerdotum innumeros propemodũ videamus, (ídque magno eccleſiæ dedecore) ita, non dicam, leuiter: ſed & ſordidè & impurè ſacramenta Chriſti conficere, confecta tractare, tractando miniſtrare, vt ſcurræ (abſit ordini iniuria) potiùs videantur q̃ ſymmyſtæ: lucríque cauſa magis quàm animi circũſpecta attentione agere. Ad hæc periculum non modicum animarũ accedit: quando indocti illi fidei ſuæ rationem, nec reddere, nec item docere queant: quæ miniſtrare præſumunt. At prohdolor, cæcas ſinant homi num mentes, ieiunas frigidáſque relinquant: Vt ſoleant magis gregi Chriſtiano officere, quàm pro-

ficere ſuóque miniſterio abuti magis, quàm vti: ſua item diligentiùs marſupia implere, quàm puſillum gregem Chriſti ſuo miniſterio paſcere. Quod ſanè puderet eos agere, ſi miniſterij ſui auguſtam dignitatem vtique notam haberent: haberent & notas ſui miniſterij partes. Quibus dignoſcēdis libellum de ſeptem ſacramentis ante annos ducentos authore viro & auctoritate & literis probatiſsimo editū, nobis oblatum, ſed mutilum innumeríſque mendis corruptum: at nunc noſtro eóque duro labore ſuæ integritati tādem reſtitutum vobis, viri fratres, offerimus, ac cōſecramus: cui & propediem acceſſurus eſt eodem labore alius non iſto inferior, quem enchiridium curatorum appellāt, ad cumulum veſtræ diſciplinæ & eruditionis. Quibus ſingulus veſtrûm rectè

inſtructus ſuo muneri faciet ſatis. Hos itaque manu diurna, nocturna item verſantes quid vos deceat inſpicere valebitis. Quod concedat Chriſtus qui vos ſeruet & amet. Lutetiæ Pariſiorum ſexto calendas Maias.

*

DOCTISSIMI VIRI GVILLELMI PARIſienſis epiſcopi dialogus, de ſacramentis cuilibet ſacerdoti quàm vtiliſſimus incipit fœliciter.

DE SACRAMENTO *baptiſmi.*

QVONIAM ME SAEpius rogaſti Petre, poſtquàm ſacerdotij ſacrum ordinem ſuſcepiſti, vt aliqua te de adminiſtratione ſacramentorum edocerem, prout cedunt in vſum parochialium ſacerdotum: Quia verò te ſolicitum video tuæ conſentiam charitati. Primitùs propones quæſtiones, & quemadmodum à meis anteceſſoribus & à ſacris doctoribus didici, pro meo modulo cum Dei adiutorio reſpondebo. Breuibus verbis vtar, cauſas dicendorum exiguas ponendo, quas effuſiùs, ſi ſcire cupias, ad ſacros canones recurras, ſeu doctorum ſententias atque ſcripta, oportet. *Petrus.* Aliud non cupio, ſed exemplari modo acrudi: & prout ſpectant ad

bmu

vulgi doctrinam quaro. *G.* In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnia ſacramenta virtutem obtinent, pete.

De baptiſmo & eius partibus. Cap. 2.

PEtrus. Quia ſacramentum baptiſmi ianua eſt omnium aliorum ſacramentorum, & ſine ipſo ſalus (teſtante domino) non habetur: ideo de ipſo ſermo noſter primò oriatur. *Guill.* Quia de baptiſmo loqueris, ſcias triplicem baptiſmum fore. Eſt baptiſmus flaminis, id eſt, ſpirituſſancti, quo confitẽtes Chriſtum & contriti in neceſsitatis articulo baptizantur. Alius eſt baptiſmus ſanguinis quo martyres pro Chriſti fide morientes baptizantur. Sed tertius eſt baptiſmus fluminis ſiue aquæ, quo fideles quotidie & pueri baptizantur, & regenerantur Dic de quo iſtorum vis proponere quæſtionem *P.* De baptiſmo aquæ, qui à ſacerdotibus quotidie fidelibus eſt miniſtrandus. *Guillel.* Pete de eo modica & vtilia. *Petr.* Quæro ex quibus conſtituatur baptiſmatis ſacramẽtum, quomodo, quando, quibus, & à quibus debeat miniſtrari? *G.* Quæſtio tua

Triplex baptiſmus.

quinque particulas continet. Et ideo ad vnamquamque illarum prout potero, reſpondebo. Primitùs quæris ex quibus cõſtituatur baptiſmus. Reſpondeo quòd ex rebus & verbis: ſicut & quodcunque aliud ſacramentum. *P.* Ediſſere mihi quæ ſunt res, & quæ ſunt verba. *Guill.* Res dicuntur elementum: verba verò inuocatio Trinitatis. Elementum enim eſt materia: & verba illa ſunt forma ſacramenti. *P.* Declara mihi quid eſt elementum illud: quid eſt materia baptiſmi, & poſtea quæ ſunt verba quæ ſunt forma eius. *G.* Quia baptiſmus eſt ablutio quæ habet in aqua fieri: ideo aqua eſt propria materia huius ſacramenti, & non vinum, nec oleum, nec alius liquor vnctuoſus: ſed ſola aqua. *P.* Benedixiſti quòd aqua eſt materia huius ſacramenti. Sed nunquid ex omni aqua poteſt fieri baptiſmus? *Guil.* Dico quòd non: ſed ex ſola aqua naturali fit baptiſmus. Vnde ex aqua roſea, vel quacunque artificialiter facta non fit baptiſmus: Nec ex vrina, cùm talis aqua ſit potiùs humor, quàm aqua naturalis. Ex balneo tamen, lixiuio: vel aqua decoctionis carnium depurata: & huiuſ-

Quibus conſtituatur baptiſmus aquæ.

modi, bene poteſt fieri baptiſmus: quia in eis natura aquæ non mutatur. Similiter ex pluuia, & rore collecto fit baptiſmus: quia licet generentur ex vaporibus & humoribus terræ: tamen per virtutem naturæ quæ fortior eſt arte, reſoluūtur in veram aquam, quod ars non poteſt facere. Et ſic omnis aqua vniuerſaliter naturalis, eſt propria materia ſacramenti baptiſmi. *Pet.* Quare magis ex aqua quàm ex alio elemento fit baptiſmus? *G.* Require in.iiij.ſenten. cauſas. Nihilominus aliquas tibi dicam: quia per aquam effectus baptiſmi deſignatur: ſcilicet ꝙ ſicut aqua mundat ſordes exteriùs: ſic baptiſmus purificat hominem virtualiter interiùs. Similiter ſicut aqua per eius frigiditatem mitigat calorem: ſic baptiſmus concupiſcentiæ fomitem. Alia cauſa eſt propter communitatem aquæ & eius abundantiā, vt propter defectum materiæ nullus poſſit à baptiſmi ſuſceptione excuſari. Alias cauſas require in ſcriptis.

Aqua magis ſignificat effectum ſacr. bapt. quàm aliud elementum.

Pet. Sufficit mihi ad præſens de materia baptiſmi. Nunc quæ ſit eius forma mihi dicas. *G.* Forma ſacramenti baptiſmi eſt hæc [Ego baptizo te In nomine patris & filij & ſpiritusſancti, amen.]. P. Suntne o-

mnia hæc verba de eſſentia formæ : ita quod ſi vnum dimittatur, baptiſmus non fiat? *G.* Verba quæ ſunt de eſſentia formæ ſine quibus baptiſmus non fieret, ſunt hæc.[Baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritusſancti, amē.] Vnde hæc dictio, Ego, cùm intelligatur in hoc verbo primæ perſonæ, baptizo, non eſt abſolutè de eſſentia formæ. Similiter hæc dictio, Amen, non eſt de eſſentia formæ abſolutè : ſed de inſtitutione eccleſiæ. Quia licet ponitur propter expreſsionē miniſtri, ly ego: Et quòd, amen, eſt ad certitudinem effectus baptiſmi: Vnde cùm non ſint de eſſentia formæ abſolutè : ſi quis ea dimitteret, propter hoc non impediretur baptiſmus quin fieret. Sed qui hoc dimitteret ſcienter, peccaret, mandatum eccleſiæ tranſgrediendo. *P.* Nunquid poteſt bene dici, baptizo me, ſicut dicitur, baptizo te? *G.* Non, quia ſicut nullus poteſt ſeipſum generare: ſic nec baptizare, cùm baptiſmus ſit quædam generatio ſpiritualis: Ideo dicitur, baptizo te, ſed nō baptizo me. *P.* Nunquid poteſt bene dici: Baptizo in nominibus, ſicut dicitur, in nomine? *G.* Non, quia virtus diuina quæ operatur in baptiſmo pertinet ad diui-

Forma baptiſmi.

nam eſſentiam, quæ eſt vna in tribus perſonis. Ideo ad denotandum vnitatem eſſentiæ dicitur, in nomine: & non, in nominibus. *Pet.* Nunquid poteſt baptizari in nomine genitoris, & geniti, & flaminis: ſicut, in nomine patris & filij & ſpirituſſancti: cùm idem ſignificent? *Guilelmus.* Non: quia ſolùm ex illis verbis fit baptiſmus, quæ ſignificant proprietates relatiuas perſonarum: hæc autē ſignificant, pater & filius & ſpirituſſanctus. Genitor autem & genitus & flamen non ſignificant proprietates relatiuas perſonarum diuinarum: ſed dicuntur actus notionales ipſarum perſonarum: & ſignificāt magis ipſos actus quàm ipſas perſonas. Et ideo ſolū [in nomine patris & filij & ſpirituſſancti] fit baptiſmus, & non ex aliis verbis. *P.* Nunquid fit baptiſmus ſic dicendo: Baptizo te in nomine patrias & filias & ſpirituſſanctas, ſicut dicunt laici? *G.* Attende quòd variatur forma baptiſmi quinque modis. vno modo variando: & huius dupliciter: vel circa ſignificationem verborum, ſicut dictum eſt in nomine genitoris, &cæ. Et ſic non fit baptiſmus. Alio modo circa voces ſolùm manente eadem ſignifi-

Variatur forma quinque modis.

ca w

catione & modo ſignificandi: & ſic diuerſis linguis fit baptiſmus: ſicut Latino, Græco, & Gallico ſermone: & ſic talis variatio non obeſt. ſimiliter variando circa voces manente eadem ſignificatione, & hoc in mera ſimplicitate ſicut laici faciunt, qui neſciunt verba latina proferre vel formare, vt in nomine patris, &c. vel ponendo nominatiuum, vel datiuum pro genitiuo nõ ĩpediretur baptiſmus: ſecus enim eſſet ſi intelligens hoc faceret ex intentione, & nouum ritum vellet facere & inducere: quia peccaret & baptiſmum impediret. Secundò, mutatur forma corrumpendo vel diminuendo, ſcilicet, ſubtrahendo aliquid quod ſit de eſſentia formę: vt ſi dimittatur, ly baptizo: vel ly te: vel aliquot triũ hominum perſonarũ Et ſic non fit baptiſmus. Veruntamen ſi neceſsitate mortis imminente vna perſona ſolũ nominetur. Et puer decedat antequàm aliæ perſonæ nominẽtur, vt ſic dicendo: Baptizo te in nomine patris: & tũc puer decederet antequàm diceretur, & filij, & ſpiritusſancti. Piè credendum eſt quid ſummus ſacerdos. ſ. deꝰ, ſupplet defectum. Si tñ puer ſuperuiueret, ratione dubij ſub conditione puer baptizãdus eſſet.

Eo quòd eccleſia in baptizando tres perſonas exprimit, & non ſolùm vnam: ſi verò ſubtrahatur vel diminuatur aliquid quod non eſt abſolutè de eſſentia formæ, ſed ſolùm de inſtitutione eccleſiæ: ſicut ly ego: ly amen: Non impediretur baptiſmus: peccaretur tamen qui hoc ſcienter faceret. Tertiò, impediretur baptiſmus addendo, ſcilicet, quando additio corrũpit ſenſum: & eſt contra reuerentiam perſonarum: vt ſi dicatur: Baptizo te in nomine patris maioris, & filij minoris: quia perſonæ coæquales ſunt. Si verò additio non corrumpat ſenſum: nec ſit contra reuerentiam perſonarum, baptiſmum non impedit: ſiue fiat à parte antè: vt dicendo [Baptizo te in nomine patris omnipotentis & filij vnigeniti, & ſpiritusſancti paracleti.] Siue etiã à parte poſt: vt dicendo: Baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritusſancti, & beatæ Mariæ virginis & huiuſmodi, non impeditur baptiſmus. Et hoc tamen intelligitur quando ille qui hoc addit non intendit facere nouum ritum: nec hoc faciat ex malitia: ſed ex mera ſimplicitate. ſimiliter ꝙ non credat & intendat quòd baptiſmus efficaciam habeat ex beatæ Mariæ: vel

Additio verborum quæ non corrũpit ſenſum nõ tollit formam.

beati Nicolai: ſed ex ſola inuocatione Trinitatis:ſed ſolùm credat quòd oratio beatæ Mariæ virginis: vel beati Nicolai proſit baptizato ad ſui baptiſmi conſeruationem. Quartò,impeditur baptiſmus tranſponendo, ſcilicet literas vel ſillabas quibus ſenſus corrumpitur. Si verò tranſponat dictiones ſicut ly,baptizo,póſt,te,non ĩpeditur baptiſmus: licet peccet hoc faciens. Quintò, corrumpitur baptiſmus interpolando,quando fit tanta interpolatio verborum & operum ꝙ corrumpitur intentio & actus baptiſmi ſiue baptizantis: vel intermiſcendo aliquid impertinens ad ſacramentum: vt dicẽdo:baptizo te in nomine patris:& tunc aliud operetur per magnum tempus, vel aliquid dicat in medio: vt baptizo te in nomine patris:vade fac ignem: & huiuſmodi talis diſcontinuatio magna corrũpit baptiſmum. Si verò propter neceſsitatem fiat modica interpolatio:ſicut ſputando, vel ſternutando,non corrumpitur baptiſmus. Igitur ex omnibus præmiſsis collige quòd forma baptiſmi eſt hæc: [Ego baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritusſancti, Amen.]

De ritu baptizandi. Cap. 2.

PEtrus. Sufficit mihi de prima parte quæſtionis meæ: Nunc mihi de ſecunda particula reſpondeas: ſcilicet, Quo modo fiat baptiſmus. *Guillelmus.* Quia de ritu & modo baptiſmi quæris: Dico quòd dupliciter datur baptiſmus ſecundum vſum diuerſarum eccleſiarum.
Quandoque datur per immerſionem, ita quòd totus puer immergitur in aqua.
Quandoque etiam datur per aſperſionem, quando puer aſpergitur & ſuper eum aqua infunditur. *Petrus*. Nunquid hæc immerſio & ſparſio ſemel debet fieri, aut pluries? *Guillelmus*. Secundum ritum diuerſarum eccleſiarum, quandoque fit terna immerſio, vel aſperſio: quandoque vnica. Et in his conſuetudo eccleſiarum eſt ſeruanda. *Petrus.* In locis vbi conſueuit eccleſia ternam immerſionem facere: ſi ſolùm vnica fieret, nunquid eſſet puer baptizatus? *Guillelmus.* Sic: ſed faciẽs peccaret, mandatum eccleſiæ & conſuetudinem non faciens: ſed tranſgrediens, niſi ſimplicitas eum excuſaret. *Petrus.* Quæ pars corporis debet immergi: vel aſpergi? *Guillelmus*. Caput: quia

in eo omnes ſenſus vigent, & in eo eſt principium vitæ animalis. *Petrus.* Et ſi caput haberi non poſsit, nunquid poteſt alia pars quæ haberi poteſt, aſpergi: vt patet in pueris exiſtentibus in vteris maternis: quorum ſola manus apparet, & de periclitatione timetur? *Guillelmus.* In tali caſu debet aſpergi pars quæ apparet: & piè credendum eſt quòd Deus ſupplet defectum. Si tamen poſtmodum viuus habeatur, debet totus immergi, vel ſaltem caput aſpergi ſub conditione: ſic dicendo, puer non intendo te rebaptizare: ſed ſi baptizatus non fueris, ego baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Et hoc ſecuriùs: quia aliter non intelligitur baptiſmus perfici. Igitur baptiſmus per immerſionem vel aſperſionem vnicam vel ternam, habet fieri ſicut eccleſia in qua habitas, con ſueuit.

Quando puer rebaptizandus.

De tempore baptizandi.
Cap. 3.

PEtrus. De tertia parte meæ quæſtionis mihi reſpondeas, ſcilicet, quando dandus eſt baptiſmus ſci-

licet ſtatim vel differendus. *Guillelmus.* In adultis non eſt ſtatim dandus: ſed potiùs per aliquod tempus differẽdus: quia probandi ſunt ſi ex fide accedunt: ne reſiſtant à propoſito, & cõtumeliam faciant ſacramento. Pueris verò propter periculum mortis eſt ſtatim dandus, nec eſt differendus: quia non poteſt eis aliter ſubueniri.

Quibus dandus baptiſmus. Cap. 4.

PEtrus. Quia verò dandus: an omnibus indifferenter pueris ſit miniſtrã dus, dicito. *Guillelmus.* Pueris Gentilium & Iudæorum non eſt inuitis parentibus, aut eis naſcentibus, baptiſmus miniſtrandus, maximè tempore quo carent vſu rationis. Cùm ſecundum ius naturale in tali tempore ſint ſub parentum cura & tutela, qui poſſent eos inducere ad relinquendum quod ignorantes ſuſceperunt, quod verteretur in fidei detrimentum. Vnde beatus Auguſtinus dicit, quòd non eſt bonum faciendum vt inde proueniat malum. Quid de infantibus quos meretrices relinquunt in foribus Eccleſiarum, & in biuiis de quibus dubitatur, an fuerint baptizati? *Guillelmus.*

De huiuſmodi infantibus & pueris quos ſtatim natos comperitur & neſcitur, an fuerint baptizati, conſulitur vt ſub conditione baptizentur. Sub hac forma: [Puer ſi es baptizatus te rebaptizare non intendo: ſed ſi non es baptizatus, ego baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, amen:] quia in tali caſu non dicimus baptiſmum iterari, quia non dicimus iteratum quod neſcitur eſſe factũ. *P.* Et quid de his pueris eſt faciendum quos obſtetrices ad templum deferunt, & eos in neceſsitate ab eis aſſerũt baptizatos? *G.* Eodem modo ſicut in prędictis facias, & eos ſub cõditione baptiza, nec mulierũ verbis aſſentias: quia cùm ignaræ ſint, creditur ſemper eas verba baptiſmi corruptè ꝓtuliſſe: aut immerſionẽ ſeu aſperſionẽ non in debito feciſſe. Et ideo pueros ſic ſub conditione baptizatos, non eſt rebaptizare, potius ſed ſuæ ſaluti ſuccurrere.

Forma bap. conditionati.

A quibus debet baptiſmus miniſtrari. Cap. 5.

PEtrus, De vltima parte meæ q̃ſtionis mihi reſpõdeas, ſcilicet à quibus baptiſmus debeat ſeu poſsit miniſtrari. *G.* Cuilibet naturam humanam habenti cõgruit hoc ſacramentũ miniſtrare: quia ſi-

cut aqua eſt elementum quo baptiſmi ſacramentũ efficitur,propter eius cõmunitatẽ,vt nullus poſſet propter defectũ materiæ à nõ ſuſcipiẽdo baptiſmum,excuſari.Sic omnis homo ſiue maſculus,ſiue fœmina poteſt baptiſmũ miniſtrare in neceſsitate:vt nullus etiã poſsit ꝓpter defectũ miniſtri excuſari. *P*. Si omnis homo eſt miniſter huius ſacramẽti,quare ſacerdotibus ad baptizandũ pueri deferuntur? *G*.Sacramentorum ſacerdos miniſter eſt principalis:ideo priùs & principaliter ad ipſum pertinet huius ſacramẽti miniſtratio:qa ceſſante neceſsitate hoc ſacramẽtũ cum ſolẽnitate fieri debet,ſcilicet ſub benedictione aquæ & huiuſmodi,licet non ſint de eſſentia ſacramenti:ſunt tamen de honeſtate & congruitate. Et quia hæc ad ſacerdotẽ pertinent,ideo primò(niſi neceſsitas occurrat) debent baptizandum ad ſacerdotem deferre, & à ſacerdote baptizari . Sed neceſsitate vrgente & ſacerdote abſente poſſunt pueri à clericis baptizari , & ſi clerici non fuerint, poſſunt à laicis & prius à viris , & ſi viri ſint abſentes, mulieres poſſunt pueros in tali neceſsitate baptizare. Et ideo laici tã viri quàm mulieres ſunt à ſacerdotibus ad ba

ptizandũ pueros inſtruẽdi. *P.* Pone, quòd matre pariẽte nullus fuerit præſẽs niſi pater. Nũquid pater poteſt ĩ tali neceſsitate ſuum propriũ filiũ baptizare, & ius petendi debitũ matrimonij ab vxore non perdat? *G.* In tanta neceſsitate vbi per alium, quàm per patrẽ vel matrẽ puero non poteſt ſubueniri, licitũ eſt parentibus ſuos proprios filios baptizare. Nec ꝓpter hoc à iure debiti matrimonij ſunt priuati. Aliud tamẽ eſſet, & eſt ſi temerariè alter eorũ ſuũ propriũ filiũ baptizaret, vel ambo: quia ſi quis hoc faceret iure debiti matrimonij priuaretur. Etiã ambo ſi vterq; eorũ hoc temerariè faceret, & propriũ filium baptizaret vnus & alius eũ ſuſciperet. *P.* Nunquid poſſunt duo homines vnũ puerũ baptizare: quorũ vnus verba proferat & alter immergat, vel aſpergat? verbi gratia: Duo ſunt quorum vnus mancus: quia manꝰ non habet, & loqui poteſt: & alter mutus qui loqui nõ poteſt, & manus habet in neceſsitate. Nunquid poteſt mancus puero ſibi præſentato verba proferre, & mutus immergere vel aſpergere: & eorum opera baptizatus ſit puer? *G.* Dico quod non: quia oportet in baptiſmo quod ſimul cõcurrat in actiõe ba-

Parentes ſuos poſſunt filios baptizare in neceſsitatis articulo.

ptizandi ex eodē verbū prolatū cum operatione elementi. Aliter falſa eſſet oratio quę virtutē baptiſmi exprimit: vt dicēdo, baptizo te. Oportet ꝙ ille qui immergit ſeu baptizat, loquatur, & quòd verbū eius accedat ad elementū: Aliter eſſet falſa oratio eius. Vnde ſi mancus qui immergere nō poteſt, dicat, baptizo te, mentitur: quia non immergit, ſed potius mutus: & ideo non baptizat. Inde neceſſariū eſt quòd ex eodē proferātur verba ſimul cum aquæ immerſione, vel aſperſione. *P*. Quia dixiſti ꝙ omnis homo poteſt baptiſmū miniſtrare: Quęro an hęretici, ſciſmatici, pagani, Iudęi, infideles poſsint miniſtrare ſacramentū baptiſmi? *G*. Dico ꝙ ſic: dum tamen habeant intentionē vniuerſalē faciendi quod facit eccleſia abſoluté. Nec obeſt baptiſmū ſuſcipientibus ignorari ab eis. *P*. Ad quid prodeſt baptiſmus fictis accedentibus adultis? *G*. Si fictus aliquis accedat ad baptiſmū, ſicut ſæpe videmus Iudæos, non intendens ibi aliquid recipere niſi ſolùm id quod facit eccleſia, Sacramentū, id eſt, ablutionē recipit & characterē: ſed rem ſacramenti, id eſt, gratiā ſpiritusſancti nō recipit: ſed recedente fictione, non propter hoc eſt re-

Fictè accedens, characterem ſuſcipit.

cccc3.

bap-

baptizandus:cùm baptiſmus reiterari nõ poſsit:ſed confiteri debet de fictione: & tunc ſuſcipit gratiam ſpiritusſancti, & virtutem obtinet ſacramẽti. *P*.Ad quid prodeſt illa gratia quæ in baptiſmo confertur? *G*.Hominẽ à pœna & culpa totaliter abſoluit, eorũ'quæ ante baptiſmum geſſerat. Tamen quia in paruulis ſolũ eſt originale peccatũ & non actuale:cùm vſu rationis careant, ipſos à peccato originali purgat,& à pœna abſoluit, quæ ꝓ eo debetur. Adulti verò quia non ſolùm contrahunt peccatum originale, ſed etiam actuale:eos ab vtroque abſoluit, & à pœna quæ pro vtriſque debetur.

De ſuſceptoribus à ſacro fonte. *Caput 6.*

P*Etrus*. Nunquid eſt neceſſariũ ꝙ aliqui ad leuandũ puerũ accedant ſemper? Nunquid poteſt idẽ puerũ tenere & ipſum baptizare? G. Iuſtũ eſt vt aliqui ad ſuſcipiendum puerũ de ſacro fonte accedant: & patrini dicuntur. Quia ſicut baptizans eſt ſicut pater ſpiritualis: ita ſuſcipiens eſt ſicut mater vel nutrix ſpiritualis. Ideo ſicut in generatione naturali requiritur pater & mater: ita in ſpirituali

generatiõe. Vnde ſicut mater fungitur ad puerũ officio nutricis: ſic ſuſcipiẽs pueiũ officio nutricis ſpũalis, & nutrire ſpũaliter tenetur, & ipſum erudire. In ſumma tamen neceſsitate vbi plures haberi non poſſent: poſſet ille idẽ qui ĩmergit pueiũ vt aſpergit in baptiſmo ſuſcipe, & vtroq, officio fungitur. *P.* Et quot ad ſuſcipiendũ puerũ de ſacro fonte ſufficiunt? *G.* Vnus ſolus: ſed quãdoq; duo ad deſignandũ vnitatẽ deitatis & hũanitatis in Chriſto:& quãdoq; tres ad plus admittũtur ꝑpter trinã perſonarũ repræſentationem. Nec plures quàm tres recipias: quia multa cognoui matrimonia propter huiuſmodi cognationis ſpũalis multiplicationem impediri: ſicut declarabo cùm de matrimonio dicam. Ergo cõſanguinei poſſunt plures intereſſe? *G.* Omnes conſanguinei in gradu attinentes, pueri baptizati & eius parentũ pro vnica perſona reputantur. Et ideo quãdo dicitur, ꝙ ſolũ tres perſonæ recipiãtur ad leuandũ puerũ, intelligitur de illis quæ nihil attinẽt puero nec eius parẽtibus: & inter quos poſſet matrimoniũ copulari. *P.* Quot annorũ debent eſſe puerũ de ſacro fonte ſuſcipientes? *G.* Adultæ ætatis: & tot annorum ꝙ ſuorum

poſſunt eſſe memores factorum. Et ideo pueros non admittas ad leuandum pueros: quia ſuos filios docere neſcirent. Et etiam propter eorum labilem memoriã pòſt immemores facti ſunt: poſſunt ducere filias ſuas in vxores. *P.* Si ſacerdos ex imprudentia baptizat maſculum puerum quem fœminam credit eſſe, nũquid eſt puer rebaptizandus? *G.* Non: quia baptiſmus nullum proprium ſexum ſibi appropriat: ſed naturam humanã. Vnde prima intentio eccleſiæ & miniſtri eſt, puerum & hominẽ baptizare, & per accidens virũ vel fœminam. Ideo ſi maſculum baptizaret quem credit fœminã: vel fœminam quam credit maſculum: non eſt rebaptizãdus puer. Sed nomẽ approprian-dum eſt, quòd ſuo ſexui congruit: vt ſi fœmina fuerit, & nomen ei impoſitum fuerit in baptiſmo, Ioannes, Ioanna vocetur. Et ſi non fuerit nomen proprium ſexui: vocetur ſecundum nomen vnius de patrinis, vel ſecundum conſilium epiſcopi. *P.* Quid ſi mulier mortua fuerit, & puer créditur viuere, quid agẽdum eſt? *G.* Si conſtiterit eam eſſe mortuam, ſtatim aperiatur, & puer extrahatur ab ea: & ſi viuus reperiatur, baptizetur. *Petrus.*

Pueri pueros à ſacro fonte ſuſcipere prohibeantur.

Et ſi puer reperiatur mortuus, nunquid eſt cũ matre ſepeliendus? *G*. De hoc ſunt diuerſæ opiniones. Quidã dicunt ꝙ ſepeliendus eſt cũ matre: licet nõ fuerit baptizatus, qa portio matris eſt. Et huic opinioni videtur conſentire Gaufridus in ſumma ſua. Alij dicunt quibus magis conſentio, ꝙ non eſt cũ matre in cimiterio ſepeliendus: quia poſtquàm formatus perfectè reperitur, dubiũ non eſt in eo animã præfuiſſe diſtinctã ab anima matris, etiã corpus eius: licet ei cõiunctũ fuerit & ab ea ſumpſit alimentum. Et ideo idem eſt iudiciũ de eo ſicut de pagano. Et hæ duæ opiniones tanguntur in decretis: de conſecratio. diſtin. 1. ſuper illud: eccleſia in qua mortuorum. *P*. Multa ſunt quæ præcedunt baptiſmum & quæ ſequũtur: quæ ſunt illa me doceas. *G*. Omnia tibi declarare lõgum eſſet: tantùm teneas illud, quod eorum quædam dicuntur catheciſmus, & exorciſmus. Exorciſmus, eſt illa adiuratio quæ fieri habet antequam baptiſmus miniſtretur: & ibi fiunt plura. Sed primum in fronte ſignatio, ad expellendum virtutem dæmonis. Secundum, eſt benedictio cum manus impoſitione, ad præcludendum viam diabolo expulſo

Puer in vtero mortuus, cum matre non eſt cum ea in cimiterio inhumandus.

ne redeat. Tertium, eſt aurium ſputo linitio, propter fidei receptionẽ. Quartũ, eſt narium ſputo linitio, propter fidei approbationẽ. Quintũ, eſt ſalis in ore appoſitio, propter fidei doctrinæ confeſsionẽ. Sextũ, olei ſancti antè & retrò inunctio, propter aptitudinẽ eius contra dæmonẽ ad pugnam. Septimũ, eſt aqua benedicta contra diabolicas impugnationes exteriores. Et hęc ſeptem ad exorciſmũ pertinent. Ad catheciſmum verò pertinet fidei inſtructio, de qua debent inſtrui ad baptiſmũ venientes, & ideo dicitur paruulis: credis in deum, &c. & patrini reſpondent, credo, ſcilicet, operã daturos vt credant. Adulti verò debent per ſeipſos reſpõdere. Igitur hæc duo, ſcilicet catheciſmus & exorciſmus præcedere debent baptiſmũ. Illa verò quæ ſequuntur baptiſmum, tria ſunt: quorũ primũ eſt criſmatis vnctio in vertice, quæ ſignificat deſcẽſum ſpiritusſancti. Secundum, eſt alba veſtis quæ deſignat innocentiæ puritatẽ. Tertiũ, eſt candela quæ in manu ponitur, quæ deſignat lumen cognitionis, quod debet habere baptizatus in bonis ſectandis & malis euitandis. *P.* Conuenit hæc omnia operari in puero in neceſsitate à laicis bapti-

Ad exorciſmum ſpectantia.

zato ſeu ab aliis? *G.* Non cōuenit: quia vt iam dixi, exorciſmus ordinatur ad inimici expulſionē: & catheciſmus ad fidei inſtructionē. Per baptiſmū aūt ab eo diabolus eiicitur, & patrini in fide firmi ſunt, & iam pro eo ſpoponderunt: ideo non oportet illa iterari: ſed ſolū illa quæ ſequuntur baptiſmū presbiter operetur, ſcilicet linitionem criſmatis, &c. *P.* Quis eorum videtur præcedere: exorciſmus aut catheciſmus? *G.* In adultis potius debet præcedere catheciſmus quàm exorciſmus, quia in fide prius debēt informari. In paruulis verò quia nondum habēt vſum rationis, ſecundum vſum eccleſiæ præcedit exorciſmus ad expellendum diaboli poteſtatem, ne viribus eorum inſidietur, ne recipiant ſacramentum. Sufficit autem patrinorum eorum fideliū pro eis fidei profeſsio. Hæc tibi petre de ſacramento baptiſmi dixi, rogo te vt ad præſens tibi ſufficiat.

De Sacramentis aliis characterem imprimentibus. Et primò de Confirmatione, Caput 7.

PEtrus. De aliis ſacramentis me doceas. Et maximè de eis quæ characte

rem imprimunt,quemadmodum & baptiſmus. G. Tria ſunt ſacramenta quæ imprimunt characterem, & ideo non ſunt iterabilia, ſcilicet baptiſmus, confirmatio & ordo.de baptiſmo tibi dixi:de aliis duobus ad te non pertinet: ſed ſolis epiſcopis eſt eorum adminiſtratio conferenda. *P.* Aliquantulum de his dicito.

G. Pete prius de confirmatione quę ſequi debet baptiſmum. *P.* Dic mihi quæ forma, & quæ materia ſacramenti confirmationis & qui debent confirmari vel à quibus, & quo loco confirmatio conferatur? *Guillelmus.* Materia huius Sacramenti, eſt oleum oliuarum & balſamum ſimul mixtum, & vocatur criſma quod à ſolis epiſcopis conſecretur,& anno quo libet renouatur & vetus debet igne concremari: Forma autem huius ſacramenti, ſcilicet confirmationis eſt talis: Conſigno te ſigno crucis: Et confirmo te criſmate ſalutis: In nomine patris & filij & ſpirituſſancti, amen. Solis autem Epiſcopis pertinet hoc ſacramentum miniſtrare,eo quòd ſunt in gradu altiori: & ad eos pertinet aſcribere fideles ad pœnam ſpiritualem ad quem eliguntur confirmati,

De forma & materia.

Sicut ad reges & duces pertinet adſcribere milites ad pugnam temporalem: Papa tamen de plenitudine poteſtatis poteſt committere ſacerdoti quòd ſacramentum confirmationis, & minores ordines conferat. Ad omnes autem vtriuſque ſexus pertinet hoc ſacramentum ſuſcipere, qui vſum rationis habent. Quia ad ſtatũ militiæ ſpiritualis, omnes chriſtiani debent admitti: & nomen Chriſti confidenter & audacter confiteri. Vnde periculoſum eſt hominibus ad ſacramentum non concurrere. Ideo ne eorum ignorantia ſit craſſa, quod contemptum generare videatur: Bonum eſt conſilium vt, moneantur ſæpius ad huiuſmodi ſacramenti ſuſceptionem. Et ad quærendum epiſcopum vt illud ſuſcipiant. Debet autem ille qui hoc ſacramentum ſuſcipit eſſe ieiunus & cõfeſſus. In frõte verò hoc ſacramentũ confertur: eo quòd eſt locus euidẽtior, vt cõfirmatus plenariè & pleno frõte confiteatur nomen Chriſti: & ſe eſſe chriſtianum: & non verecundetur confiteri nomen Chriſti: quia in illo ſacramento ſpirituſſanctus datur ad robur. Debet autem ille qui confirmatur teneri ab alio, quando ab epiſcopo inungitur. Et ſpecia

Quibus miniſtratur.

liter à confirmato: nec refert ſiue à viro ſiue à muliere teneatur: dum tamen fuerit tenens confirmatus. Et hoc eſt vt inſtruatur ad pugnam ſpiritualem & confeſsionem fidei, ab eo à quo tenetur. Debet etiam ille qui confirmatur per triduũ ferre ligaturam qua frons eius ligatur, propter criſmatis confirmationem, & triduanæ dominicæ ſepulturæ ſignificationem. Et in tertia die ad ſacerdotẽ accedere debet: & ſacerdos cũ ſale & aqua frontem confirmati abluere in piſcina ſiue in loco ſacro, & ſecretò ligaturam comburere, & cineres in terram cimiterij operire. Nihil amplius tibi dicam de confirmationis ſacramento.

De ſacramento ordinis. *Cap.* 8.

PEtrus: Nunc de ſacramento ordinis aliqua mihi dicas. G. Curioſus es: ſufficiant tibi ſacramenta de quibus indiges erga tuam plebem. *Petrus*. Aliqua parua abs te de illo audire cupio: quia fortè mihi proderunt prout ſpero. *G*. Pete. *P*. Quæro abs te, quid ſit ſacramentũ ordinis, & ſi materiam & formam habeat & quot ſunt ſacri ordines. G. Sacramentum ordinis, eſt quoddam ſignaculum ec

cleſię quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, qua ſuſcipiens conſecratur. Illa verò quæ porriguntur eis qui ordinantur ſunt materia ſacramenti ordinis: ſicut calix cum vino: patena cum pane porrecta ſacerdoti, vnde illa res que pertinet ad ordinem qui ſuſcipitur & datur, in illo ordine materia eſt illius ſacramenti ordinis quod ſuſcipitur: ſicut Subdiacono vacuus calix: Accolito, traditio cerei & candelabri: Exorciſtæ, liber exorciſmorum: Lectori, liber prophetarum: Oſtiario, clauis. Forma verò huius ſacramenti, eſt ſermo epiſcopi, & verbum quod epiſcopus dicit in porrectione illarum rerum dirigens ad eos qui ordinantur. Et vtitur epiſcopus in illa forma verbo imperatiuo, dicendo: accipe vel age hoc vel illud: vnde iſta porrectio rerum epiſcopi ad illos qui ordinantur, ſunt de eſſentia ſacramenti ordinis. Sunt autem ſeptem ordines qui ordinantur omnes ad ſacramentum euchariſtiæ. Quorum, quatuor primi ordinantur ad diſponendum eos qui ad euchariſtiam accedunt, dignos ſuſcipientes & indignos repellentes: quorum primus dicitur exorciſta, qui poteſtatem dæmonis repellit ab energumenis.

Secundus dicitur oſtiarius: qui expellit indignos à conſortio fidelium & introducit dignos. Tertius eſt lectionarius vel lector: qui per ſacram ſcripturam intellectum illuminat fidelium. Quartus, eſt accolitatus: qui deferendo cereos deuotionem excitat fidelium, & iſti quatuor ordines dicũtur non ſacri. Non quòd ſanctitate careant: ſed quia non ordinantur ad tam ſacra, ſicut alij tres. Nec iſtis quatuor eſt continentia annexa.

Tres autem alij ordines ſacri dicuntur: quia referuntur ad ſacramẽti euchariſtiæ conſecrationem: quorum, primus dicitur ſubdiaconus qui vaſa dominici corporis & ſanguinis portat: ideo ſubdiaconi accipiunt calicẽ de manu epiſcopi, ſed vacuũ: vnde ſubdiaconus diſponit materiã eucha riſtiæ. Secundus autẽ eſt diaconus, qui in omnibus diſpenſat ſacerdoti & miniſtrat. Tertius, eſt ordo presbiteratus, qui euchariſtiã conſecrat: & ſic iſti tres ordines ad euchariſtiam directè referuntur: quia ſubdiaconus materiam ordinat, & offert diacono, & diaconus presbytero.

P. Quomodo poteſt ordo eſſe vnum ſa cramentum, cùm ſint ſeptem ordines? *G.* Sacramentum ordinis, dicitur vnum vni-

tate perfectionis ſiue finis: ſicut domus dicitur vna ad quam ædificandam multa concurrũt ſicut omnes ordines ad vnum vltimum actum, qui dicitur euchariſtia. Tamen non dicitur vnum vnitate indiuiſibilitatis vel continuationis, cùm vnus ordo poſsit eſſe ſine alio.

Plures ordines efficiunt vnum ſacramentum.

Petrus, nonne in quolibet iſtorum ſeptem ordinum imprimitur character? G. In ſingulis ordinibus etiam ſinguli characteres imprimuntur & diſtinguuntur: & ad vltimum characterem, ſcilicet, preſbiteratus vniuntur & imprimuntur. character autem in quolibet ordine traditur: in inſtrumẽti traditione ad illum ordinem requiſiti cum debita forma verborum, quæ ab epiſcopo proferuntur: Sicut in traditione clauium eccleſiæ character manuum oſtiarij imprimitur. Character verò lectoris in traditione libri prophetarum. Character exorciſtæ in traditione libri exorciſmorum. Et character accoliti in traditione candelabri vel vrceoli, ſcilicet, vaſis in quo vinum & aqua ponitur, propter conſecrationem: & illud adminiſtrat ſubdiacono qui ibidem vinũ ponit. Character verò ſubdiaconi imprimitur in calicis vacui conſecrati traditio-

ne, cum forma debita verborum epiſcopi. Et in his quinque ordinibus in traditione prædictarum rerum cum debitis formis verborum epiſcopi, characteres imprimunt. De duobus autem ordinibus ſcilicet, diaconatu & presbyteratu: quidã dixerunt quòd characteres imprimuntur in manuum appoſitione, ſed non placet aliis: quia character imprimitur in traditione alicuius rei competentis ad illud ſacramentum, vt dictum eſt: vnde licet per manus impoſitionem detur plenitudo gratiæ ad adminiſtrationem ſacramentorum, ſicut ſacerdoti tanquam principali, & diacono tanquam miniſtro. Tamen character imprimitur in traditione rerum ad eos pertinentium. Vnde quanuis principalis actus diaconis ſit portare corpus Chriſti cum patena, & ſanguinem diſpenſare cum calice: tamen in ſua ordinatione non poteſt exprimi per traditionem vaſorum tantùm, cùm hæc debetur ſubdiacono, nec per traditionem materiæ corporis & ſanguinis Chriſti: quia non eſt decens quod eis tradatur ſanguis in calice, & corpus Chriſti in patena: cùm ſacerdoti qui eſt principalis ſolùm detur panis in patena & vinum in calice: & non

corpus & ſanguis. Ideo quantùm ad actũ ſecundarium qui eſt legere euangelium, dicitur character imprimi in traditione libri euangeliorum cum debita forma verborum epiſcopi. Similiter dicitur in ordine ſacerdotali, character imprimi in traditione panis ſupra patenam, & vini intra calicem cum debita forma verborum epiſcopi. Quia principalis poteſtas ſacerdotis eſt conſecrare corpus Chriſti verum & ſanguinem. Et hanc poteſtatem dedit prius Chriſtus ante paſsionem ſuam diſcipulis ſuis, cùm dixit: hoc facite in meam commemorationem. Sed ſecund⁹ actus ſacerdotis, eſt ſoluere & ligare fideles, & diſponere ad euchariſtiæ ſumptionem. Cuius poteſtatem accipit per manuum epiſcopi impoſitionem; cùm epiſcopus dicit: Accipite ſpiritum ſanctum: & quorũ remiſeritis peccata, &c. Et hæc pertinent ad corpus Chriſti myſticum: quia ſacramentum ordinis reſpicit prius corpus Chriſti verum quàm myſticum. Ideo dicitur character imprimi in rerum traditione cùm forma verborum epiſcopi, quibus ſacramentum euchariſtiæ conficitur, ſcilicet, in pane & patena & vino & calice. Similiter in vnctione manuum

Duo actus ſacerdotis.

ſacerdotis, nō imprimitur character: ſed ſolùm fit vnctio manuū ſacerdotis vt eis liceat tāgere corpus Chriſti: Sicut calix vt cōtineat ſanguinē: & patena vt contineat corpus Chriſti. Similiter ſcias ꝙ ex veſtimentis character non imprimitur: ſed ſolùm ex eis ſignificatur idoneitas, quæ in ſacerdote & miniſtris eccleſiæ debet eſſe.

De veſtimentorum ſignificatione.

P. Quia de veſtibus ſacris mentionē feciſti: dic mihi quid ſignificāt? *G.* Ornat⁹ veſtimētorum exterior ſignificat ornatum interiorum morum, quem habere debēt qui ad diuina tractanda aſcendunt. Quædam autem veſtes requiruntur in ſuperioribus miniſtris, quæ non requiruntur in inferioribus: & quædam ſunt communes omnibus: & ſunt tres veſtes, ſcilicet, alba camiſia totum corpus cooperiēs: quæ ſignificat puritatem vitæ: & amictus humeros tegens quo ſignificatur fortitudo bonorum operum, maximè ad diuina officia exequenda: & cingulum quod ſignificat reprehenſionem carnis. Subdiaconus autem vltra hæc habet duo ſcilicet manupilum quaſi ſudarium ad tergendum lippitudinem oculorum, id eſt, omnem negligentiam circa diuina miniſteria, eo quòd primò ad ſacra tractanda

Veſtium ſacerdotalium ſignificatio.

ſubdiaconus admittitur:habet etiam tunicam ſtrictam, per quam doctrina apoſtolica in legendo apoſtolicum textum, ſignificatur. Diaconus verò ſuper hoc habet ſtolam à ſiniſtro humero in dextrum tendentem, ad ſignificandum fortitudinem & tolerantiam aduerſorum: habet etiam dalmaticam largam, ad ſignificandum largitatem in diſpenſatione ſacramentorum: quia ſanguinem Chriſti diſpenſat. In diſpenſatione verò requiritur largitas. Sacerdotibus verò in vtroque humero ponitur ſtola: vt oſtendatur quòd plena poteſtas diſpenſandi ſacramentum ſibi datur: vel per hoc ſignificantur arma iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris in ſucceſſione aduerſorum & proſperorum: & ideo ſtola deſcendit vſque ad inferiora.

Super his additur caſula rotunda, ad ſignificandum charitatem quæ eſt ſuprema omnium virtutum: quia ſacerdos conſecrat ſacramentum charitatis, ſcilicet, euchariſtiam in epiſcopis plura ſuperaddun tur, ſcilicet, ad deſignandum rectitudinē greſſuū, ideſt, affectionū. Sādalia. ſ. caligę ad deſignandū cōtemptum terrenorum.
Sum. Subcinctorium quo ſtola ligatur cum alba, ſi-

ba ſignificat amorem honeſtatis. Tunica talaris, perſeuerantiam in aggreſsione arduorum in bonis operibus. Dalmatica, ſignificat largitatem in operibus miſericordiæ reſpectu indigentium. Annullus ſignificat deſponſationem eccleſiæ. Per chirothecas ſignificatur cautela in opere. Per mittram ſignificatur ſciētia & doctrina vtriuſque teſtamēti, ſcilicet, noui & veteris: vnde & duo cornua habet. Baculus curam paſtoralem deſignat: & quia debet colligere vagos additur curuitas baculi: quòd autem ſuſtentare debiles, & infirmos habet, ſignificat ſtipes baculi: & debet pungere lentos, & hoc ſignificat ſtimulus in pede baculi, vnde verſus: *Habet & ſuſtentare debiles.*

Collige, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Sed vlteriùs archiepiſcopi habēt pallium in ſignum priuilegiatæ poteſtatis, quia archiepiſcopus princeps eſt epiſcoporum ſubditorum: vnde pallium ſignificat torquem auream quam ſolebant legitimè certantes accipere. Ecce ſignificationem veſtium audiſti. *P.* Nunquid corona eſt ordo? *G.* Non: ſed eſt ſignum diſtinctiuū miniſtrorum eccleſiæ à plebe communi. Similiter per tonſuram clericalem deputatur quis ad cultum diuinum, non ad ſa-

cra tractanda:ſed ad laudes diuinas deuò tiùs dicendas & canendas. Vnde, tonſura fit in modum coronæ: quia reges ſunt, ſcilicet, ſe & alios regentes & in deum regnũ habent, & deo ſeruire regnare eſt: ad cuius ſeruitiũ ſunt deputati. Similiter fit in raſione capillorum addeſignandũ renũciationẽ ſuperfluorum terrenorum: quia deum clericus hæreditatis ſibi partẽ conſtituit, & ſe hęredem dei facit: ſic etiam in ſuperiori parte capitis fit, ad deſignãdum quòd ſemper debem⁹ habere oculos mẽtis ad deum eleuatos. *P.* Nũquid epiſcopatus eſt ordo? G. Scias quod dupliciter ordo dicitur. vno modo ſecundũ reſpectum ad corpus chriſti verũ, ſcilicet, ad cõſecrationẽ hoſtiæ: & ſic ordo eſt ſacramentum propriè, & iſto modo epiſcopatus non eſt ordo, quia epiſcopus nõ habet ſuperiorẽ poteſtatẽ nec maiorẽ ſacerdote quantũ ad cõſecrationem corporis Chriſti. Alio modo ſumitur ordo ſecũdum quod eſt quodda officium reſpectu quarundã actionum ſacramentorũ: & ſic cùm epiſcop⁹ habeat poteſtatẽ reſpectu corpòris Chriſti quod eſt eccleſia in actibus ad ſacramentorum principatum pertinentibus: ſic illo modo epiſcopatus eſt ordo communiter: nec

Epiſcopatus non eſt ſacramentũ

eſt ſacramentũ, ſed ſacramẽtale: vnde epiſcopatus ab ordine ſacerdotis depẽdet, & epiſcopalis poteſtas præſupponit ordinẽ ſacerdotalẽ: quia nullus poteſt epiſcopalẽ poteſtatẽ recipere niſi priùs fuerit ordinatus in ſacerdotẽ: quia poteſtas epiſcopalis nõ tantũ eſt poteſtas iuriſdictionis, ſed etiã ordinis prout ordo iſto modo dicitur. *P.* Nõne poſſunt alij ſacerdotes ab epiſcopis ordines conferre? *G.* Collatio ordinum alicui poteſt conuenire dupliciter: aut de iure cõmuni ratione ſuæ ordinariæ poteſtatis, & ſic ſoli epiſcopi poſſũt quoſcũque ordines conferre, quia ad eos ſolùm pertinet inſtituere miniſtros in eccleſia: vnde peccant epiſcopi qui promouẽt ſciẽter indignos. Alio modo collatio ordinum alicui conuenit ex indulgentia generali vel ſpeciali ratione cõmiſsionis domini papæ: & ſic alij ſacerdotes non epiſcopi poſſunt minores ordines conferre: non tamen maiores. *P.* Nunquid non baptizatus, & non confirmatus poteſt ſacros ordines recipere? *Guillelmus.* De neceſsitate ſacramentum ordinis præſupponit ſacramentum baptiſmi. Vnde ſi aliquis non baptizatus promoueretur ad ſacerdotiũ ſacerdos non eſſet: nec hoſtiam

Non baptizatus non poteſt ad ſacr. ordi. promoueri.

poſſet conſecrare, nec abſoluere in foro pœnitentiali: vnde deberet ſecundũ canones baptizari & iterato ordinari etiã ſtante baptiſmo, ſi in epiſcopum promoueretur, epiſcopus non eſſet: & ſi aliquos ordinaret, ordines non reciperent. Quantùm veró ad ſacramentũ confirmationis, ſcias quòd de neceſsitate ſacramẽtum ordinis non prę́ſupponit ſacramẽtum confirmationis: nec de neceſsitate opportet quòd ille qui ſuſcipit ſacros ordines ſit cõfirmatus: verũtamen de congruitate ſacramentum ordinis prę́ſupponit ſacramẽtũ confirmationis: quia congruum eſt quòd ille qui accedit ad ſacros ordines ſuſcipiendos habeat omnem illam perfectionem, quæ requiritur ad fidei confirmationem, per quã fit aliquis idoneus ad executionẽ ordinis. Hoc autem fit per ſacramentum confirmationis. Et ſic character ſacram. ordinis præſupponit de cõgruitate characterem ſacram, confirmationis, & non de neceſsitate: ſed de neceſsitate præſupponit charactarem ſacramenti baptiſmi.

Sacramentum ordinis non præſupponit ſacr. confirm. de neceßitate ſacram.

De impedimentis quominus ſacramentum ordinis ſuſcipiendum vel exequi poßit. Cap. 9.

P*Et.* Quot ſunt quæ impediunt ſuſceptionẽ ordinũ? *G.* Quædã ſunt, quæ

ſimpliciter impediunt ſuſceptionē ordinum:& quædā ſolū impediunt executionē & nō ordinis ſuſceptionē. primū quod impedit ſuſceptionē ordinis ſimpliciter, eſt ſexus fœmineus ſimpliciter: quia mulier ordines ſuſcipere non poteſt: ſed ſolus vir, cùm ſit prima imago dei: Mulier autē imago viri: vt dicit Apoſt. 2. ad Cor. j. c. Vnde, licet mulier vocetur diaconiſſa in abbatia, hoc non eſt ratione ordinis: ſed quia habet officium ad matutinas homelias legendi. Sūt autem plura quę non impediunt ſuſceptionem ordinis: ſed magis executionē. Quorum primū, eſt defectus cognitionis vel diſcretionis: vt ſunt pueri & amētes qui vſu rationis carent: licet poſsint ordinē ſuſcipere, priuantur tamen executione: quia ad executionē ordinis requiritur diſcretio. Vnde in quibuſdam ordinibus requiritur ætas diſcretionis ex honeſtate cōgrua, ſicut in duobus primis minoribus ordinibus. Sed adulta ætas requiritur in aliis de neceſsitate præcepti: in nullo tamen de neceſsitate ſacramenti: quia in ſacramēto confertur poteſtas, quæ poteſt alicui cōpetere: quamuis non ſit idoneus executione. Vnde ſciendum eſt quòd cū infantia percurrat vſq;

ad 12.annos, poſſunt duo primi ordines minores ſuſcipi. A 12.autem anno vſq; ad 21. poſſunt duo minores ordines vltimi ſuſcipi. A 21.anno poteſt ſubdiconatus ſuſcipi. A 25.anno diaconatus. A triceſimo presbyteratus. A triceſimo completo ſimiliter poteſt quis in epiſcopum eligi: verumtamen propter neceſsitatem, & idoneitatem perſonæ poteſt epiſcopus ordines ex diſpenſatione domini papæ anticipare. Etiam eadem die quatuor primi ordines traduntur. Tempus verò epiſcopi non poteſt (niſi ex diſpenſatione domini papæ) anticipare. Secundum, ſeruitus impedit ordinem ſacramenti, quãtum ad executionem: quia ſeruus non poteſt ſe altari mancipare ſine licentia domini cuius eſt ſeruus: & per ordinem homo mancipatur diuino officio. Verumtamẽ ſi ſeruus ordinetur, characterem recipit & ordinem: cùm libertas non ſit de eſſentia ordinis, ſed executione caret. Vnde ſi ſeruus ordinetur domino neſciente vel non conſentiente: redigetur in priſtinam ſeruitutem non obſtante quòd ſacrũ ordinem receperit. Tertiũ, homicidium impedit ſacrũ ordinẽ: nõ de neceſsitate ſacramenti, ſed de ratione præcepti: quia cõtrariatur

ſacramēto euchariſtiæ, propter horrorem effuſionis ſanguinis. Vnde homicida, & conſulens homicidium fieri quocunque modo, fiat: ſiue vt iudex vel alius, irregularis efficitur: licet in iudicādo non peccet. Verūtamen ſi homicida vel conſentiens homicidio ſuſcepit ordinem: ordinis characterem ſuſcipit: ſed executione caret. Si verò quis interficit hominem caſualiter dans operam rei licitę, & adhibens diligentiam omnem: nec homicida iudicatur: nec irregularis efficitur: nec prohibetur ſuſceptione ordinis. Ille tamen qui caſualiter occidit hominem, licet operā dederit rei licitæ ſi diligentiam debitā non adhibuerit: ſiue ſe defendēs, ſiue alio modo, irregularis efficitur & prohibetur à ſuſceptione ordinū. Quartum, impedit ſuſceptionem ordinum illegitimatio, non de ratione ſacramenti: ſed de neceſsitate præcepti, ad quam requiritur claritas famæ, & originis: quæ vitiatur ex vitioſa origine. Verumtamē ſi accipiat ordines illegitimè natus, characterem ordinis ſuſcipit: ſed executione caret, niſi fuerit cum eo diſpenſatum. Quia verò (vt dictum eſt in ſacramento ordinis) propter honeſtatem requiritur claritas famæ: & in quo-

libet ordine conſtituitur quis dux aliorũ in rebus diuinis: ideo de ratione pręcepti & nõ de neceſsitate ſacram. requiritur in ordinato bonitas, vel vitę ſanctitas. Vnde ſi aliquis cum cõſcientia peccati mortalis ad ordines accedat tãquam pręſumptuoſus, mortaliter peccat. Nec propter hoc requiritur quòd ille qui ordinatur ſit virgo: quia virginitas nõ requiritur in ſuſceptione ordinis, quia in ſuſceptione ordinis nõ conſecratur quis in ſponſum eccleſię: ſed magis in miniſtrum ſponſi eccleſiæ, ſcil. Chriſti. In velatione tamen virginum requiritur virginitas: quia per hoc deſignatur vinculũ ſpiritualis matrimonij eccleſiæ ad Chriſtum: quia Chriſtus elegit ſibi eccleſiã non habentẽ maculã aut rugam, &c. vt dicit apoſt. ad Epheſ. 6. c. Item 2. ad Cor. 6. Deſpõdi enim vos vni viro virginẽ caſtã exhibere Chriſto. Vnde, & licet aliqua violatà & corrupta per violẽtiam à viro, quamuis non conſenſerit, tamen non velatur: quãuis nõ perdat quãtum ad deum virginitatis gloriã. De hac autẽ materia in ſcriptis require: quia ad te nõ pertinet hæc operatio, ſed ſolis epiſcopis.

Quintũ, impedit ordinis ſuſceptionem matrimoniũ nõ de neceſsitate ſacramẽti:

ſed,vt priùs,de ratione præcepti: qu ia ſi vir etiam cum muliere matrimonio copulatus ordinē ſuſcipiat, characterē ſuſcipit:ſed caret ordinis executione,quia ordini eſt annexa continentia. vir autem ſui corporis poteſtatē non habet,ſed mulier: ideo ſemper tenetur reddere debitum vxori: ipſe tantùm priuatur iure ſuo petendi, ſi præter conſenſum vxoris ordinem ſacrum ſuſcipiat. Si verò vir ex conſenſu mulieris ad ordines accedat & ordinē ſuſcipiat,ordinem exequatur quoque ſuſceptum:mulier tunc tenetur perpetuā continentiā vouere:& hoc iuxta eccleſiæ occidētalis canones. Secus eſt tamen in eccleſia orientali apud Græcos:de quo pleniùs dicetur inferiùs cū de matrimonio tractabitur,c.ij. Sextū, bigamia impedit ordinis ſuſceptionē:quia bigamia ſignificatio Chriſti & eccleſiæ qui eſt vna vnius deletur. Ideo bigamus ſacros ordines nō poteſt ſuſcipere:ſed eſt irregularis. Et hoc ſimiliter de ratione præcepti, & non de neceſsitate ſacramenti:quia ſi accedat ad ordines, characterē ſuſcipit:ſe executione caret. Papa tamen ex plenitudine poteſtatis poteſt cum bigamo diſpenſare. *Bigamia cū qua poteſt diſpenſari.*

Pe. Quomodo contrahitur bigamia, &

quot modis? G Bigamia contrahitur ex carnis diuiſione, ex vinculo matrimonij procedentis: ſicut cùm quis duxit corruptã ab alio, & eam cognoſcit. Et inde eſt quòd ſi aliqs cognoſcat plures mulieres fornicario cõcubitu, ſiue in matrimonio, ſiue extra matrimonium non efficitur irregularis. Similiter ſi ducat in vxorẽ quã priùs cognouerat: dum tamẽ ab alio non cognita fuerit, non efficitur irregularis. Similiter ſi cognita fuerit ab alio & eam cognoſcat concubitu fornicario: dũ eam in vxorem non duxerit, non efficitur irregularis: ſi tamen corruptã duxerit & eam cognouerit, bigamꝰ efficitur irregularis. Et contrahitur bigamia ſex modis. Vno modo, quando habet plures vxores legitimas, & carnaliter eas cognouerit: ſi tamen eas duxerit in vxores in diuerſis partibus, & vna decedat antequam cognouerit eam: nec propter hoc efficitur irregularis. Similiter ſi religionem ingrediatur antequam ſecundã cognouerit. Secundo, eſt quãdo diuerſis temporibus habet plures vxores: vnã de iure & de facto, & ambas cognoſcit carnaliter. Tertio, quando etiã ſimiliter habet plures vxores: vnã de iure & aliã de facto, & ambas cognoſcit.

Bigamia ſex modis cõtrahitur.

Quarto, quãdo viduam cognitam à priori viro duxit iterum, & cognoſcit. Quinto, quãdo duxit in vxorem corruptam ab alio priùs, & eam cognoſcit. Sexto, quando propriã vxorem cognoſcit poſtquam adulterata fuerit cum alio. Septimo, vitiũ membri & defectus impedit ſuſceptionẽ ordinis vt priùs: non ex neceſsitate ſacramenti, ſed ratione præcepti: etiam ſi talis defectus ſit qui maculam notabilem inferat, per quam perſonæ claritas & fama obſcuretur, vt abſciſio manus, naſi & huiuſmodi: hoc tãtùm ſcias, quia ſi accedat characterem recipit, ſed executione caret. Octauo, recipere ordines furtiuè vel plures in vna die, priuat ab executionẽ, licet recipiat ordinem: vnde eorum pœna eſt depoſitio: & ſi priùs fuerit lata excommunicatio ſuper hoc, ſolus papa diſpenſat. Si verò non fuerit lata ſententia, poteſt epiſcopus diſpenſare: & maximè in minoribus ordinibus, vel ſi clauſtrum intrauerit. Si verò quis promoueatur per ſaltum ad ordines, ſicut accipiendo ſacerdotium antequam ſit diaconus: vel diaconatum antequam ſit ſubdiaconus: ſi hoc ex malitia fecerit, deponi debet: quanuis characterem ſuſceperit,

Si tamen ignoranter hoc fecerit, debet ſibi imponi pœnitẽtia ab ipſo: & interim caret executione ordinis, quem per ſaltũ accepit, quouſque ordinem prætermiſſum recipiat. Nonò, illi qui ab hæreticis epiſcopis promouentur, aut ſimoniacis, & huiuſmodi, quamuis recipiãt ordines: non tamen executionem ordinis. Vnde epiſcopi ſciſmatici, hæretici, degradati, &huiuſmodi, licet ab eccleſia pręciſi ſint: quia tamen ſecundum formam eccleſiæ catholicæ conſecrati ſunt, vera ſacramenta conferunt, quia in cõſecratione epiſcopi datur ei poteſtas, quæ perpetuò manet in eo: quãuis non imprimatur character; quod poteſt, quia quando recõciliatur ab eccleſia non iterum conſecratur. Et ideo poteſtatẽ conferendi illis qui ab eis ſacra. recipiunt, non amittunt: niſi propter ineſficaciam ſacramentorum, quæ cõferunt: Hi verò qui ſcienter ſacramenta ab illis recipiunt poſt eccleſiæ prohibitionẽ, executione ordinum carẽt, licet ſacramenta ſuſceperint. In omnibus igitur præcedentibus teneas, quòd ſi aliquis teneatur aliquo præcedentium impedimentorum & ad ordines accedat, ſacramẽtũ recipit: ſed non ordinis executionẽ, excepto primo

impedimẽto de ſexu fœmineo, quoniam nec mulier characterem ordinis recipit, nec executionẽ. Hæc ad præſens de ſacramento ordinis tibi ſufficiant. Si amplius cupis ſcire ad canones, & doctorũ ſcripta recurre. *P.* Dic mihi vlteriùs, nũquid peccat aliquis mortaliter ſemper miniſtrando in ordine ſuſcepto in peccato mortali? *G.* Sic ceſſante neceſsitate cõtra legem diuinã agit: quę pręcipit quòd illud quod iuſtum eſt iuſtè exequatur. Talis autem peccator iuſtũ iniuſtè exequitur: & ideo peccat mortaliter, veruntamen in caſu neceſsitatis ſicut licet laicis in neceſsitate baptizare: ſic licet etiam ſacerdoti in neceſsitate ſacramenta miniſtrare: vel alij ordinato ordinem ſuſceptũ timoratè exequi: cum propoſito emendationis. Et ſcias quòd quandiu miniſter peccator ab eccleſia ſuſtinetur vel toleratur, ſubditus eius poteſt ab eo ſacramenta ſuſcipere, quoniam ad hoc eſt ei obligatus in tempore neceſsitatis: propter neceſsitatem non debet ab eo ſacramenta ſuſcipere: nec eum ad miniſtrãdum inducere: quia eum induceret ad peccandum. *P.* Nunquid ordinat⁹ tenetur dicere horas canonicas & officiũ diuinũ? *G.* Etiam: tamen

Quando peccat miniſtrando in mortali peccato.

ſcias quòd ad horas canonicas, & ad officium diuinũ, aliquis duplici ratione tenetur. Vna ratio eſt, propter ordinem ſuſceptum, cui eſt annexum diuinũ officium ad referendum deo gratias: cùm & epiſcopus ordinatum ad ſuum officium ordinauit. Secunda eſt ratio, propter beneficium ſuſceptum: quia, qui de altari viuit, altari debet ſeruire: ſi ob pigritiam omittit, peccat.

De ſacramento Euchariſtiæ, & eius materia.
Caput 10.

PEtrus. Quia ſacramẽtum euchariſtię ſequitur ſacrũ ordinẽ, cùm ſacer ordo ad ipſum ordinetur, de ipſo me doceas. *P*. Quæro quid dicitur euchariſtia: & ex quibus ſacramentũ euchariſtiæ cõficiatur? *G*. Euchariſtia dicitur bona gratia ab ἐυ quod eſt bonum, & charis quod eſt gratia, quaſi bona gratia: quia ĩ eo totius gratię plenitudo cõtinetur. ſ. Dei filius in ſacramento altaris: & ſicut alia ſacramenta ex materia & forma conſtituuntur, ſic

Panis qualis. & ſacramentum euchariſtiæ. *P*. Dic mihi primùm quæ ſit materia euchariſtiæ? *G*. Panis, & vinum, & verba ſunt forma huius ſacramenti: virtute quorum tranſſubſtantiantur panis in corpus Chriſti, & vi-

num in ſanguinem. *Petrus.* De quo pane fit ſacramentum? *Guillelmus.* De pane triticeo vel de pane frumenti ſolummodo: eo quòd Chriſtus grano frumenti ſe comparauit: & ideo de pane alterius grani non fit hoc ſacramentum, ſcilicet ſpelta, auena, hordeo, & huiuſmodi. veruntamen ſi aliquantulum de huiuſmodi granis miſceantur cum frumento: cùm tamen ſpecies frumenti non mutetur, non impedit quin ex illo pane poſsit ſacramentum celebrari. Aliud tamen eſſet, ſi tanta eſſet mixtio illorum granorum cum frumento quod ſpeciem frumenti mutarent: quia tunc ex illo pane non celebraretur. *Petrus.* Eſt ne ille panis de quo celebratur azimus, vel fermentatus? *Guillelmus.* Ex vtroque celebratur ſecundum conſuetudinem diuerſarum eccleſiarum. Eccleſiá enim Romana ex azimo conficit: quia ex tali pane creditur feciſſe Chriſtum, quia prima die azimorum. Eccleſia verò orientalis, ſcilicet Græcorum celebrat ex fermento: ad deteſtationem hæreſis Nazareorum: qui Euangelia & legalia miſcebant. Conſuetudo noſtra Latinorum rationabilior eſt.

P. Quare requiritur vinũ ad celebrandũ hoc ſacramentum? *Guillelmus.* Ad deſignandũ effectũ huius ſacramenti qui eſt lætitia ſpiritualis: quia vinũ lætificat cor hominũ. *P.* De quo vino cõficitur? *Guillelmus.* Solum modo de vino vitis: quia Chriſtus hoc vino conſecrauit, quod patet cũ dicit amodò non bibã de genimine vitis, &c. Similiter Chriſtus ſe viti comparauit, cùm dixit: ego ſum vitis, &c. Vnde ex alio vino non celebratur nec efficitur ſacramentum vt puta de vino malo granatorũ pomorũ, prunorũ, & huiuſmodi, quæ non dicuntur propriè vinum: ſed magis humores. Similiter nec ex puro aceto cùm ſit vinum corruptum, ex acetoſo tamen aliquantulum & non in totum corrupto bene poſſet confici. Similiter ex agreſto vel veriuto non conficitur: quia licet ſit in via vt fiat vinum, nondum tamen eſt vinum. Ex muſto tamen in neceſsitate poteſt, quia ſpeciem vini habet: prohibetur tamen ne ex muſto puro ſtatim ex vua in calice expreſſo celebretur, propter eius impuritatem: ſic igitur materia huius ſacramenti eſt panis de frumento, & vinum de vite. *Petrus.* Ad quid admiſcetur aqua cum vino cùm miniſtratur

Vinũ quale.

Panis qualis.

tur

tur. *Guillel.* Triplici de cauſa. Prima, eſt ad memoriã paſsionis Chriſti, quia cum ſanguine aqua fluxit de latere Chriſti. Secunda eſt, quia per hoc deſignatur vnio populi ad ipſum Chriſtum, quia per aquam populus chriſtianus deſignatur: vnde in Apocalypſi: aquæ multę, id eſt, populi multi. Tertia cauſa aſsignatur etiam propter inſtitutionem ſacramenti, quia probabiliter creditur quòd chriſtus hoc ſacramentum inſtituit in vino aqua mixto ſecundum morem illius terræ. Vnde Prouerbiorũ ix. Bibite vinum quòd miſcui vobis: nec ſufficit quòd alius ſacerdos aquam cum vino in Calice ponat, vel diaconus ex præcepto ſacerdotis, eo quod ſacerdos medius eſt inter Deũ & populũ. Et ideo appoſitio aquæ in dolio vel in vaſe à clerico non ſufficit, propter ſacramenti ſignificationem. *Petrus.* Si aqua non admiſcetur cum vino, nónne impeditur celebratio ſacramenti? *Guillelmus.* Non: quia aquæ admixtio cum vino non eſt de eſſentia ſacramenti, & ſine illa poteſt ſacramentum confici· peccaret tamen qui ſcienter illam apponere dimitteret. *Petrus*. Nunquid tantum de aqua quantum de vino eſt ponendum? *Guillelmus*

Non: ſed in minima quantitate vt & ſtatim abſorbeatur à vino & conuertatur in vinum.

De forma ſacramenti Euchariſtiæ.
Caput II.

P*Etrus*. Quia per virtutem verborum quæ ſunt forma huius ſacramenti, tranſſubſtantiatur panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti: Oſtende mihi quæ ſunt iſta verba quæ ſunt forma eius? *Guillelmus.* Iſtius ſacramenti duæ ſunt formæ: vna ſuper panem, & alia ſuper vinum: forma verò quæ eſt ſuper panem qua tranſſubſtantiatur panis in corpus Chriſti, eſt hæc: [*Hoc eſt enim corpus meum.*] Vnde alia verba: Accipite & manducate, &c. Non ſunt de eſſentia formæ, ſed ſolùm illa verba prædicta: quæ ſi ſacerdos nō diceret ſuper panem cum intentione conficiendi, conſecraret, quanuis peccaret tranſgrediendo eccleſiæ conſtitutionem. Forma verò ſuper vinum qua tranſſubſtantiatur in ſanguinem, hæc eſt. [*Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.*] Et ſcias quia iſtorum

verborum ſolùm illa ſunt de eſſentia formę, in quibus tota virtus ſacramenti conſiſtit, ſcilicet illa: [*Hic eſt calix ſanguinis mei*] alia verba non ſunt per ſe de eſſentia ſacramenti ſed quædam eorum declarant vſum ſacramenti, ſicut illa: Accipite & manducate, &c. & quædam efficaciam ſacramenti, ſicut illa, noui & æterni. Similiter hęc dictio, enim, non eſt de eſſentia formæ: ſed de inſtructione eccleſiæ. Vnde ſi quis eam dimitteret conficeret: & nec ſacramentum impediret, ſed peccaret. Nota etiam quòd calix ibi ponitur metaphoricè & ſimilitudinariè pro paſsione Chriſti. Item ſcias ꝙ cùm corpus humanum non ſit ſine ſanguine, nec ſanguis ſine corpore: ideo in conſecratione primò fit cōuerſio in corpus, & ex naturali concomitantia in animam & ſanguinem, & huiuſmodi quæ corpus ſequũtur. Similiter etiam de ſanguine, primò fit conuerſio in ſanguinem, & ex naturali concomitantia in corpus, & alia quæ humanũ ſequuntur ſanguinẽ. *P.* Si ſacerdos conſecraret corpus & non conſecraret ſanguinem, nunquid eſſet ibi verum corpus Chriſti conſecratum? *G.* Verum corpus Chriſti etiã ibi ſub illis ſpeciebus

virtute verborum, quæ ad conſecrationẽ corporis pertinent, licet nunquam ſanguis conſecraretur: vnde errauerunt quidam & in hæreſim lapſi ſunt qui dixerunt ꝙ vna forma expectat aliã, & ꝙ nõ eſt ibi corpus donec poſt prolationem verborum ſanguinis: hoc eſt enim idololatria, quia ſacerdos eleuando hoſtiam, corpus Chriſti non indicaret populo: ſed ſolũ panem: quod eſt erroneum dicere & hereſis: quia ibi eſt verum corpus Chriſti. *Petrus.* Cùm in ſacramento ſit verum corpus Chriſti, & verus ſanguis quomodo manent in illo accidẽtia quæ videmus & ſentimꝰ, ſicut albedo, dulcedo, magnum, paruum, & huiuſmodi? *Guillelmus.* In illa, accidentia quæ vides & ſentis virtute diuina per ſe manent, quæ prius erant in ſpecie panis & vini, & ſine ſubiecto ſunt: & poſt conſecrationem eandem virtutem retinent virtute diuina, quam prius habebant in ſubiecto quæ franguntur, putrefiunt & corrumpuntur: vnde fractio illa quam facit ſacerdos non eſt in corpore Chriſti, ſed in accidentibus & ſpeciebus ex quibus vermes generantur. *Petrus.* Quid de vermibus inde generatis eſt faciendum? *Guillelmus.* Comburi debent, &

cineres debent in piſcinam reponi: ſimiliter alia animalia, mures, & muſcæ ibi captæ ſic ſunt cōburendæ, & illud quod ſupereſt de hoſtia ſumere debet ſacerdos ſi poſsit abſque periculo: ſi verò non poſsit, tunc ſunt partes hoſtiæ cum reuerentia ſeruandæ. Et eodem modo faciendum eſt de hoſtia maſticata ab infirmo & per vomitum reiecta: quia quandiu ſpecies manent, manet ſub ipſis corp⁹ Chriſti. Et ideo ſi poſsint ſumi ſine periculo, ſumendę ſunt: & in hoc ſacerdos multùm meretur. ſi verò ſumi non poſſunt ſine periculo, ſeruandæ ſunt vt dictum eſt. *Petrus.* De ſacramento ſecundum ſe, ſatis mihi dixſti. Nunc de miniſtro ipſius & de diſpoſitione mihi dicas. *Guillelmus.* Sacerdos eſt miniſter huius ſacramenti, & ad ipſum pertinet celebratio ſacramenti. *Petrus.* Nunquid ieiunus debet eſſe ſacerdos cùm celebrat, & confeſſus? *Guillelmus.* Nec ieiunium, nec alia præparatio requiritur de neceſsitate ad celebrationem huius ſacramenti, ſed ſola ordinis ſacerdotalis ſuſceptio: quia hæretici & ſciſmatici & degradati & excommunicati, & prāſi & non confeſsi poſſunt ſacramentum conficere, quanuis pec-

carent mandatum eccleſiæ tranſgredien-do:propter tamen reuerentiam ſacramen ti eccleſia inſtituit vt ſacerdotes ieiuni ad celebrandũ accederẽt,etiã cõtriti ſeu con feſsi:ne in eorũ damnationem ſumerent ſacramentum. *P*. Nunquid ſacerdos poſt potationẽ aliquã aquæ vel ſuſceptionem alicuius medicinæ poteſt celebrare,cùm ab eccleſia reputetur ieiunus? *G*. Vt dictum eſt quòd quantum de neceſsitate ſa cramẽti,poteſt:quantum ad reuerentiã ſa cramenti quod ad inſtitutionem eccleſię, nõ poteſt. Scias tamẽ duplex eſſe ieiuniũ, ſcilicet ieiunium eccleſiæ quod fieri licet propter mortificationem carnis, & illud non ſoluitur propter ſumptionem aquæ vel medicinæ. Et hoc ieiunium eccleſiæ non requiritur in celebrando. Aliud eſt ieiunium naturæ quod fit per priuationẽ cuiuſcunque rei: ſiue aquæ ſiue medicinæ:quia nihil in corpore ſuſcipitur, & ta le ieiunium requiritur in celebrando. Et incipit hoc ieiuniũ in media nocte, quia tunc dies naturalis incipit. Vnde ſi ſacerdos poſt mediam noctem aliquid ſum pſerit,ſiue aquam, ſiue medicinam, debet ſequenti die à celebratione ceſſare: aliàs à cõmunione niſi cauſa infirmitatis

quia à regula excipiuntur infirmi. Si verò aliquis ſacerdos ante mediam noctem aliquid ſumpſerit, poteſt ſequenti die celebrare, & aliàs communionem recipere. Nec refert ſi poſt illam ſumptionem dormierit, vel non, quia dormitio ſolùm eſt propter ſedationem perturbationum mentis, nec requiritur ad conſecrationem. *Petrus*. Nunquid reliquiæ ciborum remanentes inter dentes in ore ſolùm ſoluant ieiunium naturæ: & conſecrationem impediant? *Gulielmus*.

Tales reliquiæ ciborum ſi caſualiter & non ex propoſito tranſglutiantur: non ſoluunt ieiunium naturæ: nec celebrationem, aut ſumptionem Euchariſtiæ impediunt. Similiter aqua modica vel vinum quibus os abluitur, non impedit: cùm omnis talis ſolùm per modum ſaliuæ tranſglutiatur: quod vitari non poteſt. Veruntamen in omnibus talibus bonum eſt abſtinere, ſi neceſsitas non occurrat, propter ſacramenti reuerentiam & præcipuè quando aliquid parum extraneum fuerit ſumptum, vel mixtum cum ſaliua in quantitate maiori. Igitur ſcias quòd ieiunium naturæ requiritur ad celebrationem & ſumptionem euchari-

ſtiæ: vt ſcilicet nihil ſumatur, nec trāſglutiatur quod vitari poſsit poſt mediam noctem, aliud à ſaliua. Nec adhuc valet illa dormitio quam dicunt alicui quod poſtquam dormierūt, poſſunt celebrare: quia ieiuni non reputātur ieiunio naturæ: ſed potiùs eccleſiæ ieiunio.

P. Si ſacerdos ad celebrandum accedat non confeſſus, nunquid peccat ſicut peccaret non ieiunus? *G.* Sacerdos accedens ad celebrationem, vel alius ad euchariſtiæ ſumptionem cum conſcientia peccati mortalis, mortaliter peccat: & iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicās corpus domini. Ideo debet accedere ieiunus, contritus, & confeſſus ſi copiam ſacerdotis habeat: quam ſi habere non poſſit & eum cogat neceſsitas celebrare, conteratur de peccatis: & propoſitum habeat confitendi poſtmodum, dum opportunitatem habuerit, & copiam ſacerdotis.

Confeſsio prætermitten-da.

P. Si ſacerdos ſe ſciuerit in peccato, & contritionem habuerit: & ex neceſsitate ad miſſam celebrandam acceſſerit, aut forte in miſſa peccatum eius occurrerit memoriꝗ, & de illo non pœnituerit, nunquid poteſt celebrationem tranſire: aut ſaltem à communione abſtinere? G

Non, quia ſacerdos habet in ſe quo po teſt ſe præparare ad ſacramentum conficiendum & ſumendum: ſi contritionem & propoſitum confitendi habeat. Vnde licet cum conſcientia peccati celebrando peccet mortaliter: grauius tamen peccaret ſi conſecrationem prætermitteret & ſe conſecrare ſimularet, quia populum deciperet adorando panem pro corpore Chriſti, & vinum pro ſanguine. Ideo nullo modo debet conſecrationem ſimulare. Similiter etiam poſt conſecrationem nullo modo ſe debet à perceptione ſacramenti abſtinere. Cuius ratio eſt: quia eucharistia non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. Quicunque ergo offert ſacrificium debet eſſe particeps ſacrificij quod offert. Sacerdos verò accedens ad altare offert ſacrificium pro populo & ſe diſpenſatorem oſtendit ſacrificij, & ideo prius debet eſſe particeps huius ſacrificij: ideo neceſſe eſt vt quotieſcunque celebrat quòd corpus & ſanguinem ſumat. Et hoc præceptum eſt in Decretis de conſecratione diſtinct. ij. Relatum.

De diſpoſitione miniſtri.
Cap. 12.

PEtrus. Quia in ſacramēto euchariſtiæ eſt ſanctus ſanctorū: Nunquid maculatus ſacerdos de nocte per pollutionem ſeminis & dormiendo debet à celebratione, ceſſare, cùm ipſe dominus dicat: Sancti eſtote quia ſanctus ſum? G. Quandoque nocturna pollutio impedit celebrationem & ſumptionem euchariſtiæ ex neceſsitate: & quandoque non ex neceſsitate, ſed ex congruitate & honeſtate, propter quod ſcire debes quòd nocturna polutio ex pluribus cauſis procedit. Primò, ex cauſa extrinſeca: ſicut ex illuſione dæmonum quæ quandoque prouenit ex defectu & negligentia præparationis ad deuotionem & orationem: & talis negligentia quandoque eſt veniale, quandoque mortale peccatum: ſecundū quod maiorem locum dat diabolo & pro tali defectu ſeu negligentia quam homò ex ſuo defectu ſcit proceſsiſſe, tenetur ſacerdos à celebratione & aliàs à communione ceſſare. quandoque autem talis illuſio prouenit ex dæmonum nequitia volentium homines ab aſſumptione euchariſtiæ retrahere: & ſacerdotes à celebratione: & hoc maximè contigit circa feſtiuitates in quibus debet populus cō-

municare, & propter hoc non eſt abſtinendum: quia talis illuſio quandoque ceſſat per ſumptionem euchariſtiæ, ſicut legitur in vitis patrum de quodam qui ſemper illudebatur, & per conſilium ſeniorum acceſsit ad communionem, & ſic ceſſauit illuſio. Quandoque talis illuſio vel pollutio procedit ex cauſa intrinſeca ſpirituali, quæ quandoque ſine peccato fit, ſicut cùm aliquis ſtudendo contra vitia carnalia propter lectionem, vel prædicationem ad ea reprobanda vel etiam confeſsiones audiendo, & hoc ſine delectatione carnali: ſed ſola infirmitate carnis talis pollutio non impedit celebratione nec etiā euchariſtiæ ſacramentum. Quādoq; etiā prouenit ex cauſa intrinſeca & cum peccato, ſcilicet, quando prouenit ex cogitatione precedenti & delectatione carnali, que quādoq; eſt peccatum mortale: quando, ſcilicet, confeſſus eſt habere in hoc, & tūc de neceſsitate eſt abſtinēdum. Quandoq; etiam eſt peccatū veniale, ſcilicet, quando nō haberet conſenſum, & tunc non eſt abſtinēdum de neceſſitate, ſed de congruitate & honeſtate: quādoque etiā talis pollutio prouenit ex nimia ſuperfluitate, nimia ſumptione ci-

bi aut potus: & quandoque eſt mortale
peccatum, & quandoque veniale ſecun-
dum ſpeciem peccati,& ſic abſtinendum,
vt dictum eſt . Quandoque autem talis
pollutio venit ex debilitate naturæ: ſicut
etiam patiuntur vigilantes. Similiter e-
tiam eſt ex ſuperfluitate : quia ſicut quis
patitur fluxum ſanguinis, ſic & ſeminis.
Et quia hoc non prouenit ex voluntate
ſed potius ex corruptione,naturæ nõ eſt
abſtinendum à celebratione, nec à ſacra
menti ſuſceptione.In omnibus igitur mo
dis pollutionum ſupradictis quæ ex mor
tali peccato procedũt, debet ſacerdos ab-
ſtinere à celebratione & communio-
ne,dicta die. Et etiam tot diebus quouſ-
que mens à vagatione ceſſauerit . In his
verò quæ ex peccato veniali procedunt
abſtinendum eſt, non ex neceſsitate ſed
ex congruitate & honeſtate. Et hæc om-
nia intelliguntur quando ſacerdos non
tenetur ad officiandum: quia ſi de neceſ-
ſitate oporteat ſacerdotẽ pro populo ce-
lebrare,debet cõfiteri ſi poſsit,& ſi non
poſsit propter abſentiam ſacerdotis,con-
teratur cum propoſito confitendi:& mu-
tatis indumentis immundis munda in-
duat,& ſic ad celebrandum accedat:quia

ſi dimitteret celebrationem gentes ſcandalizarent ipſum turpiter: ſic ſcandalum eſt euitandum inquantum quiſquam poteſt: quia crederent peius quàm eſſet.

P. Nunquid ſacerdos abſque indumentis ſacerdotalibus poteſt celebrare? *G.* Quantum ad virtutem ſacramenti poteſt ſacerdos abſque indumentis ſacerdotalibus celebrare, quia ſolùm ad confitendũ hoc ſacramentum requiritur character ordinis ſacerdotalis, & non aliud: ſed quã tũ ad inſtructionem eccleſiæ propter honeſtatem & reuerentiam ſacramenti veſtes requiruntur. Et ſi ſacerdos abſque illis celebraret vel conficeret, mortaliter peccaret: mandatum eccleſiæ tranſgrediendo: & abſolutionem ad prælatum ſuperiorem, vtpote, epiſcopum, deberet poſtulare.

P. Nunquid poteſt ſacerdos in die plures miſſas celebrare? *G.* Poteſt de virtute ordinis: ſed ratione præcepti ſufficit ei ſemel in die celebrare. In neceſsitate tamen permittitur ſacerdoti curato ab eccleſia in die duas miſſas celebrare: ſicut vnam pro tempore, & aliam pro defunctis vel pro nuptiis: etiam aliis ſacerdotibus, neque in ſumma neceſsitate ſuccurrẽ

do:aliàs non licet niſi in die natalis domi ni. Scias tamen quod plures miſſas quàm duas nunquã permiſſum eſt ſacerdoti vna die pro quacũque neceſsitate celebrare: præterquam in die Natalis domini. *P*. Cùm ſacerdos ieiunus debeat celebrare, vt dictum eſt: nunquid poſt ſanguinis perceptionem & ablutionem in calice factam, de vino percipiet & ieiunus reputabitur, nec propter hoc ad celebrandum miſſam ſecundam impedietur? *G*. Nihil omnino poſt perceptionem ſanguinis ſacerdos ſumet in prima miſſa dum poſtea aliam voluerit celebrare: ſed quantùm poterit ſanguinem ebibat & cum lingua & labiis tergat calicem, & poſt aquam effundat in calice & abluto eo aquam in piſcinam infundat, & ſic terſo calice celebrare poterit in eodem: vel alio modo faciat, vt alij dicunt, propter ſacramenti reuerentiam, ſumpto ſanguine, vinum imponat in calice, vt illum abluat: & ablutionem in alio calice ponat, vel in vaſe mundiſsimo: & reſeruet illud vſque ad ablutionem ſecundæ miſſæ: & de illo faciat ablutionem in tertia poſt ſumptionem ſanguinis, & illud ſumat. Caueat tamen ſacerdos, ne ablutionem vini in ca-

lice factam:ſiue alterius liquoris poſt perceptionem ſanguinis:aut quodcunque aliud ſumat: dum voluerit miſſam aliam celebrare : quia ſic ieiunus non eſſet : nec celebrare debet. Et ſi ſic celebraret, peccaret:& pro indulgentia epiſcopum adire debet.

De periculis & defectibus emergentibus circa hoc ſacramentum. Cap. 13.

PEtrus. Quia multa pericula in miſſa poſſunt quotidie occurrere:tam circa ſacerdotem, quàm circa ſacramentum quomodo ſit agēdum mihi dicas. G. Etiam multi defectus poſſunt occurrere,tam circa ſacerdotem quàm circa ſpecies. Circa verò ſacerdotem occurrere poteſt defectus:quia fortè poteſt ſacerdos mori in miſſa, quandoque ante conſecrationem, quandoque pòſt. Si ante conſecrationem contigerit eum mori: vel graui infirmitate detineri : non oportet quòd per alium ſacerdotem ſuppleatur defectus. Si verò poſt conſecrationem incœptam, vel iam perfectam : debet per alium ſacerdotem ſuppleri ſecundum concilium Toletanum: vt dicitur in decretis. viij. q. i. Nihil contra ordines : vel vt dicit In-

mors aut infirmitas circa miniſterium.

nocentius 3. Meliùs eſt hoſtiam conſecratam reſeruare: & ſuper aliam hoſtiam miſſam à capite inchoare per alium ſacerdotem. Si verò neſcitur vbi infirmus: vel moriens ſacerdos deſierit, debet miſſa per alium à capite inchoari. Si verò contingerit quod ſacerdos poſt conſecrationem recordetur ſe comediſſe vel bibiſſe, non debet prætermittere ſacramentum: ſed euchariſtiã debet ſumere: & miſſam perficere. Et ſimiliter ſi recordatus fuerit ſe in excommunicatione ſubiacere cum propoſito abſolutionem petendi: debet miſſam perficere. Et ſi recordatus fuerit ſe peccatum mortale commiſiſſe cũ propoſito emendandi: debet euchariſtiam ſumere, & miſſam perficere: & nullo modo debet ſacramentum imperfectum relinquere: vt dicitur in prædicto decreto, Nihil. Quia vbi occurrit difficultas, ſemper accipiendum eſt illud in quo minus eſt de periculo. Maius autem periculum, eſt relinquere illud quod pertinet ad perfectionem ſacramenti: quàm illud quod pertinet ad diſpoſitionem miniſtri, ſiue ſacerdotis ſumentis: ideo nullo modo debet ſacerdos priuari à ſuſceptione ſacramẽti, & imperfectè illud relinquere. Vnde

de dicitur in illo decreto: Nihil. Nullus abſque patenti prouentu moleſtiæ miniſter, vel ſacerdos cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si autem aliquis hoc attentare temerariè præſumpſerit excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

P. De periculis quæ circa ſpecies ſacramenti cadũt, quid agendum ſit, dicito. G. Circa ſpecierum pericula. Nota quód ſi aranea, vel venenum ante conſecrationem in calice fuerit: illud deponat & terſo calice vinum vel aquam ſumat. Si verò poſt conſecrationem acciderit: debet aranea aut muſca quæ in calice ceçiderit cautè capi & diligenter lauari, & poſtea comburi: & ablutio cũ cineribus in piſcinam poni. Si verò poſt cõſecrationem ſacerdos nouerit venenum eſſe in calice, debet totum illud in vaſculo reponi, & cum reliquiis ſeruari. Et ne ſacramentum remaneat imperfectũ debet ſacerdos aliud vinum cum aqua in calicem apponere, & iterum conſecrationẽ reſumere & ſacrificium perficere. Si autẽ ante conſecrationem ſanguinis, & poſt conſecrationẽ corporis, vinum aut aquam non eſſe in calice ſacerdos inuenerit, ſiue cognouerit: de-

bet apponere illud quod deficit, & poſtea conſecrare: ſi autem poſt conſecrationem ſanguinis aduertat aquam deficere non cum vino priùs mixtam fuiſſe: non debet vlterius aquam apponere, cùm aqua non ſit de neceſsitate ſacr. vt dictum eſt: ſed debet ſacramentum ſic ſumere, & totum perficere: ſed de negligentia debet poſtea confiteri pro eo quòd aquam dimiſit. Si verò ſacerdos percipiat poſt verba conſecrationis ſanguinis Chriſti & anteſumptionem corporis Chriſti ſolam aquam in calice fuiſſe poſitam, & non vinum: debet aquam deponere in piſcinam vt dictum eſt: & vinum cum aqua reponere: & verba conſecrationis ſanguinis reſumere, & ſanguinem conſecrare, & ſic miſſam perficere. Si autem hoc aduertat poſt ſumptionem corporis Chriſti: debet aliam hoſtiam non conſecratam & vinum cum aqua accipere: & ſimul corpus & ſanguinem conſecrare: & non ſolùm vinum, ſed totum ſimul, vt obſeruetur debitus modus & ordo conſecrandi eorum, quæ ad celebrationē concurrunt: ſcilicet verba quæ dicenda ſunt non ſolùm ſuper ſanguinem, ſed etiam ſupra corpus Chriſti. Sicut illud quod dicitur: Vt quotquot ex

hac altaris participatione ſacroſanctũ filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, &c. & debet ſacerdos iterum hoſtiam cõſecratam & ſanguinem Chriſti ſumere, non obſtante quòd priùs aquam ſumpſerit, quam credebat eſſe ſanguinem cum hoſtia priùs conſecrata: quia præceptum datum, quòd perficiatur ſacramẽtum euchariſtiæ maioris eſt obligationis, quàm præceptum datum, quod à ieiunis hominibus ſumatur. Imperfectum autem ſacramentum nullo modo licet præterire: vt dictum eſt. *P*. Quid faciendum eſt ſi aliquid de ſanguine ſtillauerit? *G*. Quid agendum ſit, iura dicunt: & pœnam quæ infligitur. Vnde ex decreto Pij papæ de conſe. diſt. 2. dicitur: Si per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit ſuper tabulam, lingua lambatur tabula, & poſtea radatur: ſi verò ſuper terram, vt non conculcetur: locus radatur & igne comburatur, & cinis iuxta altare abſcondatur, & ſacerdos quadraginta diebus pœniteat: ſi ſuper altare ceciderit calix, miniſter ſic illud abſorbeat, & tribus diebus pœniteat: ſi ſuper lintheum altaris, & ad ſecundum lintheum ſtilla peruenerit, quatuor diebus: ſi vſque ad tertium, nouem diebus

pœniteat: ſi vſque ad quartum, viginti diebus pœniteat:& lintheamina quæ tetigerit ſtilla tribus vicibus miniſter abluat (calice ſuppoſito) & aqua ablutionis ſumatur, vel iuxta altare recondatur. Et hoc recolligatur quòd non oportet lintheamina ſcindi ſuper quæ ſanguis ſtillauerit, ſicut quidam faciunt: ſed ſufficit ablutio prædicta. Pœnitentia tamen licet à iure inſtituatur, minuitur ſecundum conditionem perſonæ, temporis & negotij. Et eadem pœna videtur ſacerdos dignus eſſe per cuius negligentiam hoſtiæ conſecratæ putreſiunt, vel periclitantur: quæ putrefactio fit in accidentibus, & non in corpore Christi, vt dictum eſt. De his autem qui euomunt ſacramentum, ſequitur idem ex libro pœnitentiali. Beda: Si quis per ebrietatem, vel voracitatem eucharistiam euomuerit 40. diebus pœniteat. Clerici vel monachi, vel diaconi, ſeu presbyteri 40. diebus pœniteant. Epiſcopus nonaginta: ſi pro infirmitatis cauſa euomuerit, ſeptem diebus pœniteat infirmus, ex concilio Aurelian. Qui bene non cuſtodierit ſacrificium, & mus vel aliquod aliud animal id comederit, 40. diebus pœ-

niteat: qui autem perdiderit illud in eccleſia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, 30. diebus pœniteat. Si tamē animalia & vermes ibi inuenti fuerint, comburantur: & cineres in piſcinam reponantur: & quod ſanum eſt, ſumat ſacerdos: pœnitentia verò prædicta, quæ à iure conſtituitur augmētari poteſt, vel minui: conſideratis conditionibus negotij, & perſonæ: & dicitur illa pœnitentia eſſe in ieiunis. *P.* De qua materia debet eſſe calix, & ſimiliter corporale? *G.* Calix debet eſſe de auro, vel argento; ſimul & de ſtanno: de ære verò, aut aurichalco propter rubiginem quę prouocat ad vomitū eſſe nō debet. Similiter, nec de vitro propter fragilitatem, nec etiam de ligno, propter eius poroſitatem: nec de lapide, propter ruditatem. Corporale autem de lino & puro lintheo debet eſſe: non de ſerico, propter repræſentationem ſudarij Chriſti quod fuit de ſyndone linthea munda. Ecce igitur Petre de ſacramento euchariſtiæ tibi dixi.

Quibus miniſtrari debet.

Caput 14.

P*Etrus*. Satis de eius celebratione mihi dixiſti: nunc verò quibus

miniſtrandum ſit, & quomodo mihi dicas. *Guillelmus*. Quæris quibus miniſtrandum ſit: planum eſt quod fidelibus, ſcilicet, corpus Chriſti & non ſanguis, propter effuſionis periculum. Sed quibus debeat dari: fidelibus tibi dico, quòd verè pœnitentibus & confeſsis ſecundum apparentiam: quia Deus ſolus eſt cordium ſcrutator. Vnde nemini poſſes denegare euchariſtiam pro tempore & loco, quem confeſſum audiſti: aut probabiliter ab aliis fide dignis didiciſti. *Petrus*. Quomodo autem miniſtratur plebi? *Guillelmus*. Scias enim quòd ſine ſanguine, propter periculum effuſionis. *Petrus*. Si ſolùm fidelibus & iuſtis: ergo non peccatoribus eſt adminiſtranda euchariſtia? *Guillelmus*. Verum eſt, peccatoribus manifeſtis, & per iudicium eccleſiaſticum conuictis: ſicut ſunt vſurarij manifeſti, raptores, hiſtriones, & huiuſmodi: etiam epiſcopis petentibus non eſt danda euchariſtia.

Petrus. Si aliquis peccator occultus impœnitens ad me in die paſchæ veniat, & ſacramentum petierit cum aliis: nunquid ei denegabo, cùm nouerim eius conſcientiam eſſe malam? *Guillelmus*. Si in ſe-

creto petierit & occultus ſit peccator, debes eum monere, ne contra iudicium animæ ſuæ ſacramentum aſſumat. Quòd ſi deſiſtere noluerit, cùm Chriſtianus ſit, & illud quod ſuum eſt petit, non potes ei prohibere. Et hoc ex Auguſt. in gloſ. ſuper illud. 1. Corinthior. 5. Si is qui inter vos nominatur frater fornicator, & cæt. Nos à communione quemquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum aut in iudicio eccleſiaſtico, vel ſeculari conuinctum. Si verò in publico petierit & eius conſcientiam ſcias malam, negare ei non potes vllo modo, ne ſuæ confeſsionis proditor videaris. Debet enim ſemper ſacerdos in publico omnes monere, ne quis ad ſacramenti communionem accedat antequam de peccato pœniteat, contritus fuerit & confeſſus: etſi poſtmodũ accedat peccator occultus & in publico petat vt ſibi miniſtretur, ſacerdos debet ei dare. Melius eſt eñ ſacerdoti vt aſſumẽs peccet mortaliter quàm ei denegando euchariſtiam, ne petentis cõſcientiã prodere videatur. *P.* Et ſi quis petit ſecretè, vt in publico ſibi panis loco euchariſtiæ ſibi miniſtretur: nunquid hoc facere poterit ſacerdos ſine culpa?

*G.*Non, ſed caueas ne cuiquam hoſtiam non conſecratam loco hoſtiæ conſecratæ miniſtres publicè, vel priuatim: ne idololatrare facias ſumentem, & circunſtantes adorantes panem pro hoſtia conſecrata: caueas & ne fauore vel timore corpus Chriſti ad examinationem cuiquam tribuas, quia hoc eſſet tentare deũ.

Tempus celebrandi.

P. De hora qua miſſæ celebrari debent mihi dicas: & ad quid tenetur ſacerdos dicere antequam miſſam celebret.

G. Diebus dominicis hora tertia debet miſſa celebrari regulariter, quia tali hora Chriſtus à linguis Iudęorum eſt crucifixus. In feriis ſexta hora, quia tunc manibus militum eſt crucifixus. In temporibus verò ieiuniorum, hora nona: quia tunc voce magna emiſit ſpiritum. Miſſæ verò priuatæ in aurora poſſunt dici quando radij videntur ſplendere: nunquam verò celebratur miſſa in nocte, niſi natali domini, & in vigilia paſchæ: quia de nocte dicitur Chriſtus naſci & ſurrexiſſe: & quia ſacerdos tenetur ad ſeruitium diuinum debet priuſquam celebret dicere illud ſeruitium quod pertinet ad præparationem animi & tẽporis ordinationem. Quia & matutinæ pertinent ad tempus

crepuſculi diei: prima verò ad initium diei quando ſol emittit radios ſuos ſuper terram, ſcilicet, aurora in qua miſſæ priuatæ poſſunt celebrari: ideo matutinas & primam debet ſacerdos dicere antequam ad celebrandum accedat. *P.* De his quæ dicuntur & fiunt in celebratione miſſæ poſtremò mihi dicas. *G.* Sicut dicitur in decretis de conſe. diſtin.j. Iacobus frater domini ſecundum carnem, & Baſilius Ceſarien. epiſcopus ediderunt miſſæ celebrationem: ſed ſacramentum euchariſtię Chriſtus inſtituit, vt dictum eſt: quia in hoc ſacramento totum myſteriũ noſtræ ſalutis comprehenditur. Ideo præ cæteris ſacramentis agitur cum maiori ſolennitate ac reuerentia. Et quia ſcriptum eſt Eccleſi. 3. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum domini. Et Eccleſ. 23. Ante orationem præpara animam tuam: ideo ante celebrationem huius myſterij debet præmitti præparatio ad bene dignéque agendũ. Cuius præparationis prima pars eſt laus diuina, quæ fit in introitu miſſæ ſecundum illud Pſal. Sacrificium laudis honorificabit me, & cæt. & ſumitur vt pluries introitus miſſæ de pſalmis: vel cum pſalmis: quia vt dicit Diony-

Prærequiſita ad celebrandum.

ſius.3 c.eccleſiaſticæ hierarchiæ, ipſi comprehendunt per modum laudis quicquid in tota ſcriptura continetur. Secunda pars præparationis ad hoc ſacramentum continet commemorationem præſentis miſeriæ: dum miſericordia petitur, dicendo: Kyrie eleiſon ter pro perſona patris. Chriſte eleiſon ter pro perſona filij, & ter, pro perſona ſpirituſſancti. Ter ſubditur contra triplicem miſeriam, ſcilicet, culpæ, pœnæ, & damni. Vel ad deſignandum quòd omnes perſonæ ſunt idem in eſſentia. Tertia pars præparationis ad celebrandum ſacramentum iſtud commemorat cœleſtem gloriam ad quam tendimus, poſt præſentem miſeriam, dicendo. Gloria in excelſis deo, &c Intermittitur tamen in officiis luctuoſis quæ ſolùm pertinent ad commemorationem miſeriæ. Quarta pars præparationis ſupradictę cõtinet orationem quam ſacerdos facit pro populo, vt fideles Chriſti tãtis digni ſint myſteriis. Et ſic prædicta quatuor ad præparationem celebrationis pertinẽt. Sequitur deinde ad celebrationẽ inſtructio populi fidelis ad fidem, quæ fit per doctrinam propheticam, apoſtolicam & euangelicam. Et ideo præ-

termittuntur lectiones prophetarum & apoſtolorum ad diſponendum populum ad fidem. Et quia exultatio ſpiritualis & gemitus conſequi debent in populo ex doctrina prophetarum, & apoſtolorum: ideo poſt dictas lectiones cantatur à choro graduale, quod ſignificat perfectionem ſpiritualis vitæ. Et alleluia, quod ſignificat ſpiritualem exultationem & lætitiam. Sed tractus in officiis luctuoſis cantatur, ad deſignandum ſpiritualem gemitum: deinde legitur euangelium, ad inſtruendum perfectè populum in doctrina Chriſti quæ in euangelio continetur: quo lecto cantatur ſymbolum fidei, in quo oſtendit ſe populus aſſentire per fidẽ doctrinæ Chriſti: Quod ſymbolum cantatur in feſtis ſanctorum qui Chriſti fidem fundauerunt, de quibus fit mentio in ſymbolo: ſicut beatæ Mariæ virginis & apoſtolorum & aliorum ſanctorum, qui fidei articulos continent. Deinde populo præparato & inſtructo acceditur ad celebrationem ſacramenti, quod quidem offertur vt ſacrificium: & ſumitur, vt ſacramentum. Circa quod tria fiunt: quia primò agitur oblatio. Secun. oblatæ materię conſecratio.

Significatio eorũ quæ in miſſa geruntur.

Tertiò,eiuſdem perceptio. Circa verò oblationem duo aguntur,ſcilicet,laus populi in cantu offertorij,& oratio ſacerdotis petentis:vt laus & oblatio ſit deo accepta. Conſequenter ſequitur conſecratio, quæ virtute dei agitur:primò,populus excitatur ad deuotionē in pręfatione,quam dicit ſacerdos:quia tunc monetur populus, vt cor habeat ſurſum ad dominum: & ideo finita præfatione, populus ex deuotione concepta laudat Chriſti diuinitatem cum angelis,dicens:Sanctus, Sanctus, Sanctus, & laudat humanitatem eius cum pueris Hebræorum,dicendo:Benedictus qui venit, &c. Deinde ſacerdos ſecretò commemorat illos pro quibus ſacrificium offertur: & primò pro vniuerſali eccleſia: & deinde pro illis qui ſunt in ſublimitate conſtituti ſecundum conſilium Apoſt. 1. ad Thi. 2. Obſecro primò omnium fieri obſecrationes,&c. ſpecialiter commemorat quoſdam,qui offerunt: vel pro quibus offertur hoc ſacrificium, cùm dicit:Memento domine,& cætera.

Secundò,commemorat ſanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cùm dicit:Communicantes. Tertiò,concludit petitionem, vt hæc oblatio ſit ſa-

cluo.

lutaris illis pro quibus offertur, cùm dicit: Hanc igitur oblationem, &c. Conſequenter accedit ſacerdos ad conſecrationem euchariſtiæ, in qua primò petit effectum cõſecrationis: ibi, cùm dicit: Quam oblationem tu deus, &c. vel hoc dicendo petit, vt conſecratio ſit nobis fructuoſa: ideo ſignanter dicit in nobis, vt corpus & ſanguis. Et ſignificant verba quæ ſacerdos præmittit, dicẽs: hanc facere digneris oblationẽ benedictã ſecundum Auguſti. id eſt, per quã benedicimur: Aſcriptam, id eſt, per quã in cœlũ aſcribamur: Ratã, per quã viſceribus Chriſti inſeramur: Rationabilẽ, per quã à beſtiali officio & ſenſu exuamur: Acceptabilẽ, id eſt, vt quid nobis ipſis diſplicemus per hunc, acceptabi les eius filio ſumus. Secundò, peragit ſacerdos conſecrationẽ per verba ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cùm dicit: Qui pridie. Tertiò, excuſat ſe ſacerdos à ſumptione, per obedientiam ad mandatum Chriſti, cũ dicat: Vnde & memores. Quartò, petit vt ſacrificium peractum ſit Deo acceptum, cùm dicit: Supra quæ propitio, &c. & hæc ex deuotione offerentium ipſum: ſicut ſacrificia antiquorum fuerunt ei accepta ex eorum deuotione. Et tamen

iſtud debet magis eſſe acceptum cùm ſit perfectiſsimum. Quintò, petit ſacerdos à deo huius ſacrificij & ſacramenti effectum ſpiritualem, quantùm ad duo. Primò quidem, quantum ad ipſos ſumentes illud ſacramentum, cùm dicit: ſupplices te rogamus omnipotẽs deus, &c. Nec petit ſacerdos in hoc dicendo quod ſpecies ſacramentales, aut corpus Chriſti & ſanguis ſub eiſdem ſpeciebus contenta ferantur in cœlum. Sed quærit & petit pro corpore Chriſti myſtico, ſcilicet, pro eccleſia catholica quæ ſignificatur per corpus verum & ſanguinem Chriſti, quod orationes ſacerdotis & populi angelus aſsiſtẽs huic ſacramento repræſentet deo, ſecundum illud Apocalip. viij. Aſcendit fumus accenſorum de orationibus ſanctorum, de manu angeli coram domino: ideo dicit ſacerdos: Iube hæc preferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu diuinæ maieſtatis: & dicitur ſublime altare eccleſia triumphans in quam transferri petimus: vel per angelum intelligi poteſt ipſe Chriſtus, qui angelus conſilij dicitur: qui corpus ſuum myſticum, id eſt, eccleſiam ſanctam deo patri coniungit, & eccleſiæ tri-

umphanti quæ eſt in cœlis:& propter hoc miſſa dicitur: quia ſacerdos per angelum preces mittit ad Deum. Vel per ſublime altare, intelligitur ipſe Deus qui eſt beatitudo noſtra, quam obtinere petimus. Secundò, petit ſacerdos huius ſacramenti & ſacrificij effectum quantum ad mortuos, qui iam ſumere hoc corpus Chriſti non poſſunt, cùm dicit: Memento etiam domine famulorum famularúmque tuarum, qui nos præceſſerunt. Tertiò, petit ſacerdos à Deo & huius ſacrificij & ſacramenti ſpiritualem effectum quantum ad ipſos ſacerdotes offerentes, cùm dicit: Nobis quoque peccatoribus,&c. Conſequenter agitur de ſumptione huius ſacramenti. Primò, tamen præparatur populus ad ſumptionem, quæ per tria habet fieri. Primò, per orationem communem totius populi, quæ eſt oratio dominica, cùm dicit ſacerdos: Pater noſter, &c. Secundò, per orationem priuatam, cùm dicit: Sed libera nos à malo,&c. & hanc offert ſpiritualiter pro populo. Tertiò. præparatur populus per pacem, cùm dicit: Agnus Dei, &c. Cùm euchariſtia ſit ſacramentum vnitatis & pacis, quæ tamen ſolùm pax datur quando

ſacramentũ datur pro præſentibus. Quia pro defunctis in eorum miſſa pax non datur: quia non ſunt in perturbatione huius mundi, ſed quieſcunt in domino. Similiter nec inter monachos: quia iam in mundo mortui ſunt, vt habetur ſuper illud Decretum, de conſecra. diſtin. 12. Pacem. Deinde ſequitur perceptio ſacramenti. Primò, ſacerdos ſumit euchariſtiam, deinde dat cæteris qui communicantur, & iuſtũ eſt vt primò ſumat: quia quis aliis diuina tradit, primò debet eſſe eorũ particeps, vt dixit Dioniſius in 3. cap. eccleſiaſticæ hierarchiæ: vltimò autem tota miſſæ celebratio terminatur in gratiarum actione populo exultante pro ſumptione huius ſacramenti, quod deſignat cantus poſt ſumptionem: tunc ſacerdos referre debet gratias Domino orationem dicendo, ſicut Chriſtus poſt cœnam cum diſcipulis celebratam, dixit himnum. In fine diaconus populum licentiat, dicendo: Ite miſſa eſt, ſcilicet, hoſtia ad deum per angelum. Omniũ ergo prædictorum, quędam dicuntur à choro: & hæc pertinent ad totã eccleſiã, ſicut introitus, graduale & huiuſmodi. Quædã inſpirantur populo per ſacerdotem, ſicut fides & gloria cœleſtis,
ideo

ideo ſacerdos inchoat, gloria in excelſis, & credo. Quædã etiam dicuntur pro populo per miniſtros ſicut doctrina veteris teſtamenti & noui, tãquam à deo miſſos: quædam verò ſolus ſacerdos proſequitur ſicut quæ pertinent ad ſuum officium, ſicut dona & preces. Et eorum quædam ſacerdos dicit in publico: & hæc pertinent ad ſacerdotem & ad populum, vt orationes. Quædã verò ad ſacerdotem ſolùm, ſicut oblatio & conſecratio: & ideo ea dicit occultè in ſignum ꝙ tunc tẽporis paſſionis Chriſti ante miſsionem ſpiritusſancti in diſcipulos, ipſi confitebantur Chriſtum occultè: in his etiam quæ ad ſacerdotẽ in publico dicuntur, expectant aſſenſum dicentium, amen: & excitat attentionem populi, & ideo præmittitur, dominꝰ vobiſcũ, & in fine ſubiungit, per omnia ſecula ſeculorum. Notandũ ꝙ in miſsis ſolẽnibus plures debent aſsiſtere ſacerdoti, vt dicit Sother papa, vt habetur in Decre. de diſtin. prima: vbi dicit ꝙ nullus ſacerdos præſumat miſſam celebrare, niſi duobus correſpondentibus præſentibus ſibi & ipſe tertius habeatur. In miſsis tamen priuatis vnum ſufficit habere miniſtrum, qui gerit perſonam totius populi

Myſtica ſignificatio eorum quæ aguntur in miſſa.

catholici totius eccleſiæ: ex cuius perſona reſpondent plures ſacerdoti. *Petrus.* Nunc de his quæ fiunt in miſſa mihi dicas. *Guillelmus.* Longum eſt narrare, ſed breuiter pertranſibo. Vnde ſcias quòd eorum quæ in miſſa fiunt, quædam pertinent ad reuerentiam ſumptionis ſacramenti: ſicut ablutio manuum quæ conuenienter fit: quia pretioſa tractare non debemus niſi manibus lotis & mundis. Similiter propter ſignificationem fit: vt, ſcilicet, interius ſit ſacerdos lotus per confeſsionem, ſicut extrema manus mundantur per aquæ lotionem. Et lauantur extremitates digitorum ad deſignandum emundationem etiam à minimis peccatis per confeſsionem, quæ fit ad altare in introitu miſſæ. Thurificatio autem fit duplici ratione. Prima ratio propter reuerentiam ſacramenti: vt ſi ſit in loco celebrationis aliquid olẽs & praui odoris, per bonum odorem thuris depellatur. Alia ratio myſtica eſt ad repræſentandum effectum gratiæ diuinæ, propter quam fit thurificatio: quia ſic Chriſtus bono odore plenus eſt & à Chriſto deriuatur: ſic ad fideles per officiũ miniſtro eccleſiæ: ideo in miſſa vndique altare thurificatur per

quod Chriſtus ſignificatur, & poſtmodũ omnes fideles per ordinem. Et ſic illud pertinet ad corpus Chriſti myſticum. Sunt etiam illa quæ fiunt ad repræſentationem paſsionis Chriſti: ſicut crucis ſignationes quæ fiunt à ſacerdote in celebratione, quæ deſignant effectum & virtutem crucis & modum paſsionis Chriſti. Poſt verò conſecrationem extendit ſacerdos brachia ſua, quod deſignat extenſionem brachiorum Chriſti in cruce: leuat poſtea manus ad deſignandum quòd oratio eius pro populo dirigatur ad Deũ. Quando autem ſacerdos in miſſa manus iungit & inclinat ſe orans, ſuppliciter: hoc ſignificat humilitatem & obedientiam Chriſti, ex qua paſſus eſt. Digitos autem iungit poſt conſecrationem, ſcilicet, pollicem cum indice, quibus corpus conſecratum tetigerat: vt ſi aliqua particula hoſtiæ conſecratæ adhæreat digito, ne cadat: & hoc fit propter reuerentiã ſacramenti. Quinque autem vicibus ſacerdos vertit ſe ad populum, ad deſignandũ quòd Chriſtus in die reſurrectionis manifeſtauit ſe quinquies. Salutat autem ſacerdos ſepties in miſſa populum, ſcilicet, quinquies qñ vertit ſe ad populum: & bis

quandó non vertit ſe ad populum, ſcilicet, vna vice quando dicit, dominus vobiſcum ante præfationem: & alia vice quando dicit, pax domini ſit ſemper vobiſcũ, ad ſignificandum ſeptiformẽ gratiã ſancti Spiritus. Epiſcopus autem celebrans in ſalutatiōe prima dicit, pax vobis: quia hoc Chriſtus dixit diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem ſuam, cuius perſonam epiſcopus repræſentat. Poſtea frangitur hoſtia cõſecrata in tres partes: quarum vna ponitur in calice, q̃ deſignat corpus Chriſti quod iam ſurrexit: & corpus myſticum eius quantũ ad ſanctos qui cũ corporibus ſurrexerũt: vt beatæ virginis. Pars comeſta ſignificat ipſum ambulantẽ ſuper terram: & corpus eius myſticum, ſcilicet fideles Chriſti in terra viuentes, qui paſsionibus teruntur. Tertia pars in altari vſque ad finem miſſę remanẽs, ſignificat corpus Chriſti iacens in ſepulchro: & corpus eius myſticũm, ſcilicet, corpora ſanctorũ iacẽtia in ſepulchris: quorum animę ſunt in purgatorio vel in cœlo. Iſte autem modus ſeruandi vnam partem hoſtiæ vſque ad finem miſſæ, modò non ſeruatur: manet autem eadem ſignificatio partium hoſtiæ, & fractionis hoſtiæ. Conſeruantur

autem aliȩ hoſtiæ conſecratæ propter infirmos, vt in Decretis de conſecra. diſtin. 2. legitur c. presbyter, &c. De hac autem fractione triplici verſus:

Hoſtia diuiditur in partes tincta, beatos:
Planè ſicca notat viuos ſeruata ſepultos.

Quidam autem tenent quòd pars hoſtiæ in calice poſita, ſignificat illos qui viuunt in hoc mundo fideliter: quia ſunt participes paſsionis Chriſti: pars autem extra calicem ſeruata planè ſignificat bonos in corpore & anima, vt beata virgo: pars comeſta, illos quorum corpora in ſepulchris iacent; & animæ eorum in purgatorio ſunt aut in cœlo. Et nota quòd illa fractio trina non habet fieri in corpore Chriſti: ſed in accidentibus & ſpeciebus per ſe manentibus, quæ retinent eandem vim virtute diuina, quam prius habebant cum ſubiecto. de hoc dictum eſt ſuprà cap. viij. Pars in calicem miſſa non debet dari populo in ſupplementum communionis: quia panem intinctum non dedit Chriſtus diſcipulis, niſi Iudæ proditori. Nec tũc accepit Iudas corpus Chriſti ſub pane intincto: ſed ſimplicẽ panem: quia corpus & ſanguinem Chriſti prius cum cæteris apoſtolis acceperat: ſed in porre-

ctione panis intincti expreſsit Ioanni euangeliſtæ ſuum proditorem. Poſt ſumptionem autem corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti os vino abluitur, & poſtea digiti quibus tetigerat ſacerdos corpus Chriſti. Et non debet ablutionem ſumere, ſi voluerit aliam miſſam celebrare: quia ſi aliud ſumeret à ſanguine, celebrationem alterius miſſæ impediret. Ideo in Decre. de celeb. miſſarum cap. ex parte dicitur: Semper ſacerdos vino os ſuum perfundere debet, poſtquam acceperit totum eucharistiæ ſacramentum: niſi tamen eodem die miſſam aliam debuerit celebrare: ne ſi fortè vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret. vnde quicquid infunditur poſt ſpecies, vel cum ipſis in calicem, non conuertitur in ſpecies ſacramenti: ſed potius illas corrumpit. Et ideo vinum infuſum in calicē poſt ſumptionem corporis & ſanguinis nullo modo ſumendum eſt à ſacerdote, cùm ſacerdos vult aliam celebrare miſſam. de hoc dictum eſt ſuprà, cap. xvj. &c. Hæc tibi Petre de ſacramento Euchariſtiæ ſufficiant.

De ſacramento pœnitentiæ. *Caput* 14.

PEtrus. Nunc de ſacramento pœniten tiæ audire volo, quæ ſecunda tabula dicitur poſt diluuium vel naufragium: ideo te rogo vt circa eam diligenter attendas, quia ſacerdotibus eſt maximè neceſſaria & curam habentibus animarum. *Guillelmus*. Multa ſunt in iſto ſacramenta quæ non potero declarare: pete tamen quod vis: & prout potero cum dei adiutorio reſpondebo. *Petrus*. Quæro primitùs quare tabula ſecunda dicitur pœnitentia: quid deinde ſit ſacramentum pœnitentiæ: & quę ſit eius materia & forma? *G*. Pœnitentia eſt, & dicitur ſecunda tabula, ſed per metaphoram, quia primum remedium mare tranſeũtibus, eſt nauis integra vt in ea nauigantes ſaluantur, ſed ſecũdum remedium poſt nauem fractã eſt tabula nauis, quæ ſibi adhærentes ſaluat: ſic ſpiritualiter primum remedium huius vitę eſt baptiſmus ad ſeruãdum integritatẽ: Sed pœnitentia eſt ſecundũ remediũ quę integritatẽ perditam per peccatũ mortale reparat ad ſalutẽ: & ideo ſecunda tabula dicitur poſt naufragium peccati mortalis. Eſt autem pœnitẽtia præterita mala plangere, & plãgenda iterum nõ committere. *Pœnitẽtiæ materia.*

Eſt etiam in ſacramento pœnitentiæ materia & forma, ſicut & in aliis ſacramentis. Actus enim pœnitentis dolentis de peccatis commiſsis eſt: & ſunt materiæ ſacramenti pœnitentiæ. Verba autem ſacerdotis in abſoluendo pœnitentem confitentem ſunt forma, ſcilicet, iſta: Ego abſoluo. Vnde illa verba quæ proferuntur, ſcilicet, miſereatur tui omnipotens deus &c. & ſimiliter illa: Abſolutionem & remiſsionem omnium peccatorum, &c. nõ ſunt de eſſentia formæ ſacramenti pœnitentiæ, ſed ſunt ſolùm orationes & ſupplicationes quæ fiunt deo ne impediatur effectus ſacramenti. Et ideo ſolùm hæc verba, ego abſoluo te, &c. Nec etiam, ly ego, eſt de neceſsitate: ſed ponitur ad maiorem expreſsionem intentionis abſoluentis. *P.* Nunquid requiritur manus impoſitio ſuper caput pœnitentis in abſoluendo eum? G. Non, quia de tali manus impoſitione mentionem non fecit Chriſtus, cùm dixit Petro & diſcipulis: Quæcunque ſolueris ſuper terrã, &c. ideo verba prædicta, ſcilicet, abſoluo te, operantur ſolùm virtute diuina. *P.* de quibus peccatis eſt propriè pœnitentia iniungenda? G. De mortalibus, & nõ propriè de ve-

nialibus niſi inquantum committuntur ex noſtra voluntate. Nec etiam contra peccatum originale, ſed magis baptiſmus, eo quòd peccatum originale non reiteratur: ſicut nec baptiſmus qui datur contra illud. Et ideo quia peccatum actuale pluries iteratur: ideo pœnitentia eſt de ipſo iniungenda. Aduertere autem debes triplex eſſe genus pœnitentiæ. Eſt enim quædam pœnitentia priuata quæ fit in ſecreto quam ſacerdos qualibet die iniungit pro peccatis occultis. Eſt autem alia publica, quæ fit in manifeſto pro peccatis manifeſtis: vt peregrinatio per mundum, corpore nudo, vel cum baculo cubitali vel huiuſmodi. Et hęc etiam iterari poteſt & à ſacerdote iniungi. *Pœnitentia triplex*

Eſt autem tertia pœnitentia quæ ſolennis dicitur, quæ fit in capite ieiunij quadrageſimę, & ſolùm iniungitur ab epiſcopo pro enormi crimine, quod commouet totam vrbem, vel totum bonum publicum, & pro paruulorum periclitatione cum ſcandalo populi ex parentum incuria. Nec iteratur hæc pœnitentia propter ſignificationem eius: quia deſignat eiectionẽ hominis de paradiſo terreſtri, quæ ſemel facta eſt. Nec iniungitur ſo-

lennis hæc pœnitentia clericis propter ſcandalum,quia poſt pœnitentiam ſolennem non poteſt aliquis ad ſacros ordines promoueri, & infamis efficitur. Similiter non iniungitur perſonis ordinatis, quia defertur ordini,non perſonæ. *P.* Quõmodo habet fieri pœnitentia ſolennis?G.Iſto modo habet fieri ſolenniter. Pœnitentes in capite ieiunij quadrageſimæ cum ſuis presbiteris præſente epiſcopo ciuitatis vel eiꝰ vicario, ante fores matris eccleſiæ ſacco induti, nudis pedibus, vultibus demiſsis,coma demiſſa, eiſdem in eccleſia introductis,epiſcopus cũ clero dicit ſeptem pſalmos. Et poſtea manum eis imponit: aqua benedicta aſpergit & cinerem capitibus eorum imponit, cilicio colla eorum operit, & denunciat eis lachrimabiliter quia ſicut adam eiectus eſt à paradiſo: ita ab eccleſia eiiciuntur. Et tunc iubet epiſcopus miniſtris: vt eos ab eccleſia expellant, clero eos proſequente & cantante illud reſponſorium: In ſudore vultus tui,&c.Et tunc in cœna domini à ſuis presbiteris reducuntur in eccleſiam, & erunt vſque ad octauas paſchæ: ita quòd communionem nec pacem recipient: & tunc exibunt de eccle-

ſia,& erunt extra eccleſiam vſque ad talem diem ſequentem,ſcilicet, in capite ieiunij anni ſequentis:&fiet ſicut prius quo libet anno quouſque aditus eccleſiæ eis reddetur,& concilietur ab eccleſia ſecundum volũtatem epiſcopi,ad quem ſolùm pertinet reconciliatio:Mulieres autem comam non deponant in ſignum ſubiectionis,ſed ſolùm viri.

P. Nunquid debet pœnitens de quolibet peccato mortali confiteri? G.Etiam conteri & confiteri tenetur de quolibet peccato mortali, dum ad ſui cognitionem peruenerit. *Quæ confitenda.*

P. Nunquid etiam de quolibet peccato veniali?G.Nõ: ſed ſolùm requiritur deteſtatio peccati & diſplicentia,& etiam motus deuotionis in deum & in res ſanctas: vnde venialia peccata remittuntur per ſacramentorum ſuſceptionem,ſicut euchariſtiæ, extremæ vnctionis & huiuſmodi. Similiter remittuntur ex motu eorum quæ ad deteſtationem illorum peccatorum faciunt, ſcilicet, in confeſſione generali: tonſione pectoris & oratione dominica,vbi dicitur: Dimitte nobis debita noſtra, & huiuſmodi. Similiter dimittuntur quando aliqua fiunt ex

deuotione dei & rerum ſacrarum, ſicut ab aſperſione aquæ benedictæ & etiam benedictione epiſcopali, benedictione ſacerdotali in fine miſſæ: & ex omnib' quę reuerentiam præbent deo & rebus ſacris. Et hæc intelliguntur in homine in quo ſolùm venialia ſunt. Quia in eo homine in quo eſt veniale cum mortali: non remittitur mortale, ſine veniali, nec veniale ſine mortali. *P.* Nunquid tenetur quilibet ad confitendum? *Guille.* Saltem ſemel in anno: & proprio ſacerdoti curato, vel alij ex eius mandato. Nec poteſt aliquis prælatus diſpenſare quin homo teneatur ad confitendum peccata mortalia: quæ confeſsio non eſt non ſolùm de iure poſitiuo, ſed etiam de iure diuino. *P.* Nunquid poteſt aliquis alij confiteri quàm proprio ſacerdoti? *G.* Quilibet tenetur proprio ſacerdoti confiteri: qui curam animæ eius habet: & hoc ſaltē ſemel in anno de omnibus peccatis ſuis: Tam propter poteſtatem & iuriſdictionem quam habet proprius ſacerdos ſuper partochianum ſuum: & eius vultum debet agnoſcere (cùm de periclitatione eius ſit rediturus rationem) quàm etiā propter præceptum eccleſiæ. In illa decretali: Om-

nis vtriuſque ſexus. Scias tamen ꝙ ſunt quinque caſus qui excipiuntur, in quibus poteſt parrochianus alij confiteri quàm proprio ſacerdoti. Primus eſt, ſi confitens ſit vagabundus. Secundus eſt, ſi domicilium mutauerit. Tertius eſt, ſi culpam in alia parrochia commiſerit. Quartꝰ eſt, ob propriam malitiam ſacerdotis, quando reuelator eſt confeſsionis: vel incitat cõfitentem ad peccatum. Quintus eſt, in articulo mortis: in quo quilibet ſacerdos poteſt pœnitentem abſoluere. Et nota quòd ſacerdos non debet audire confeſſionem mulieris cum qua peccauit, de eo peccato quod cum ea commiſit: ſed debet eam alij ſacerdoti remittere. Nec debet mulier ei confiteri: ſed debet petere licentiam confitendi alij. Etiam ſi ille negaret, deberet ad alium ire: tam propter periculum peccandi cum illo, quàm propter minorem erubeſcentiam quam de peccato haberet. Nihilominus tamen ſi confiteretur illi, & illam abſolueret cum emendationis propoſito, abſoluta eſſet.
Et nota quòd peccata eadem de quibus aliquis confeſſus fuerit & abſolutus, ſi iterum ea confiteatur laudabile eſt, & fructuoſum: ſi confiteatur ei, qui habet po-

teſtatem abſoluendi. Quia tantò plus de pœna ſatisfactoria ei remittitur: propter erubeſcentiam confeſsionis, quæ in pœnam ſatisfactoriam computatur. Et ſimiliter propter vim clauium, quibus ſacerdotes abſoluunt: vnde toties poſſet aliquis confiteri eadẽ peccata, quòd ab omni pœna ſatisfactoria liberaretur: talis iteratio non facit iniuriam ſacramento pœnitentiæ: cùm in eo non imprimatur character: ſicut in baptiſmo, confirmatione, & ordine: nec fit conſecratio ſicut in ſacramento euchariſtiæ, in quo non licet hoſtiam conſecratam iterum eandem cõſecrare. Sed nullum horum eſt in ſacramentó pœnitentiæ: imo fructuoſum eſt & vtile pluries eadem peccata confiteri.

P. Nunquid confeſsio per interpretem poteſt fieri, vel ſcriptura? *G.* Confeſſio per verba fieri debet: tam propter erubeſcentiam confitentis, quàm etiã propter maiorem expreſſionem mentis conceptus, quæ per verba habetur. Veruntamen in illis qui ſuos mentis conceptus ſacerdotibus non poſſunt exprimere, ſufficiunt alia ſigna mentem exprimentia: per quæ ſacerdos poſsit animum cognoſcere confitentis, ſicut carentibus loquela

& mutis, ſufficiunt ſigna & ſcriptura. Similiter vbi ſacerdos idioma confitentis non intelligit, ſufficit interpres vel ſcriptura. *P*. Quid faciet pœnitens in extrema neceſsitate poſitus, qui non habet copiam ſacerdotis cui valeat confiteri? *G*. Cõfiteatur deo vel laico, ſi habuerit: quia in tali neceſsitate poteſt confeſsio fieri laico vel non ſacerdoti: propoſito tamen retento confitendi, cùm copiam habere poterit & neceſsitate ceſſante. *P*. Multos expertus ſum qui confiteri neſciunt: Nunquid poſſum ab eis aliqua interrogare ſi commiſerint ea? *G*. Potes: ſed interrogando debes adhibere diligentiam & cautelam: vt non interroges de peccatis inuſitatis & ad propriam perſonam non ſpectantibus: quia militi non eſt interrogandum de peccatis religioſorum, nec econuerſo: ſimiliter non eſt interrogandum de peccatis illis quæ ex abundantia malitiæ adinuenta ſint, niſi à longe: & maximè de peccatis carnalibus: quia cùm delectabilia ſunt, poſſunt mouere confitentem, & ad eorum cognitionem deuenire quæ prius ignorabat.

Ideo de vſitatis quærendum, vtpote de mendacio, furto, periurio, & hu-

iuſmodi: de carnalibus autem per circunſtantias multùm remotas. *P.*

De circunſtantiis.

Quæ ſunt circunſtantiæ per quas aggrauatur peccatum, & quæ ſunt interrogandæ? *G.* Illæ circunſtantiæ per hunc verſum declarantur.

Quis, quid, vbi, quibus, quoties, cur, quomodo quando.

Quis importat circunſtantiã conditionis perſonæ: vt quis fecit, iuuenis, vel ſenex: clericus, vel laicus: ſolutus, vel ligatus: quia ſic aggrauatur peccatum & trahitur in aliam ſpeciem: vtpote, ſi ſolutus eſt, & cognouerit mulierem ſolutam, fornicatus eſt. Si ligatus eſt, adulter eſt: & ſic de aliis peccatis. Quid, importat circunſtantiam, quæ eſt effectus actus: ſicut furando, quis plus furatur & damnum maius infert: vel rem non ſacram furando furtum committit: ſed furando rem ſacram ſacrilegium committit. Vbi importat circũſtantiã loci, vt ſi peccatum fiat in loco publico, ſacro vel priuato: quibus, ſcilicet auxiliis vel inſtrumentis: vt ſi percuſſerit manu vel pugno, aut baculo ſeu gladio, id eſt, qua intentione fecerit: vt ſi quis occiderit aliũ, vel percuſſerit rapiendi rationem vel vindictæ. Quomodo, im

portat

portat modum & qualitatem actus: vt ſi percuſſerit fortiter, aut remiſſè, vel leuiter. Quando, importat tempus: vt ſi in tẽpore ſacro peccatum cõmiſit, aut non ſacro. Iſtas circunſtantias debet à confitente diligenter inquirere, quia confitendæ ſunt. Et maximè illæ quæ trahunt peccatum in aliam ſpeciem: ſicut in fornicatione & adulterio, ſcilicet, ad ligatam accedere: ſimiliter ſtuprum, ſicut deflorare virginem: & ſacrilegium, eſt agnoſcere mulierem benedictam, vel ſanctimonialem: & inceſtus, cognoſcere vxoris ſuæ conſanguineam, vel ſuam. In furto etiã eſt ſacrilegium: & in dolo periurium: & huiuſmodi ſimilia alia peccata, quæ trahunt in aliam ſpeciem peccati. Caueas tamen, vt iã dixi, ne nimis deſcendas ad particulares circunſtantias peccatorũ carnalium. Similiter caueas, ne perſonam cum qua confitens peccauit nominare, eum cogas alliciẽdo: qui ſi eam nominare voluerit, prohibe: & ſolũ inquiras de conditionibus illius perſonæ generalibus cũ qua peccauit. Vt ſi perſona ligata vel ſoluta, ordinata aut ſacrã religionẽ profeſſa, & huiuſmodi: & ſic generaliter, ne perſonã propriã agnoſcas. *P.* Vt video, ſe perſona de-

bet accuſare in confeſsione ſolùm, & integrè confiteri. *G.* Etiam vt ſcias qualiter debeat confeſsio fieri, conditiones per hos verſus reperies:

Sit ſimplex, humilis confeſsio, vera, fidelis:
Atque frequens, nuda, diſcreta, libẽs, verecũda,
Integra, ſecreta, lachrimabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, & ſit parere parata.

Huius autẽ expoſitio eſt hęc: Sit ſimplex. i. ſine plica: vt nihil dicatur niſi quod pertinet ad quantitatem peccati, & qualitatem peccatoris. Humilis. i. miſerum ſe clamet pœnitẽs. Pura. ſ. intentione recta. Fidelis, id eſt, vera. Frequẽs. i. ſæpe fiat. Nuda. ſ. ſine inuolutione, aut obſcuritate verborũ. Diſcreta. ſ. maiora peccata dicat cum maiori põdere. Libẽs. i. volũtaria. Verecũda, ſcilicet, erubeſcendo de peccatis: & nõ iactãdo de bonis. Integra, ſcilicet, quod nihil celet: quia aliter abſolui non poſſet, cũ non fiat abſolutio vnius peccati mortalis ſine alio. Secreta. ſcili. ad forũ pœnitentię: vbi de occultis cõſcientiæ agitur. Lachrymabilis, q̃tũ ad dolorẽ de peccatis cõmiſſis. Accelerata. ſ. vt ſtatim cõfiteatur, & nõ dilationẽ cõfitendi faciat: hoc tñ nõ eſt de neceſsitate p̃cepti, qm̃ q̃libet tenetur ſolũ ſemel ĩ anno de rõne p̃cepti confiteri. ſ. in

ſent.

paſchate:laudabile tamē eſt, vt homo poſt lapſum ſtatim cōfiteatur, tā propter recuperandā gratiā quā amiſit, quàm propter periculū mortis: cui⁹ certitudinē tēporis non cognoſcit. Fortis. ſ. vt propter erubeſcētiā cōfiteri peccata nō dimittat. Accuſans. ſ. ſeipſū & non aliū: & ſit parata, quia cōfitēs debet ſacerdoti in omnibus obedire, quātū ad ea quæ ſunt in foro pœnitētiæ. Ecce igitur Petre, dixi de quibus cōfeſsio fieri debet: & qualiter facienda ſit.

De qualitate abſoluentis & poteſtate.
Cap. 15.

PEtrus. Quia poſt confeſsionē pœnitētis ſequitur abſolutio ſacerdotis: ideo de abſolutiōe ei⁹ mihi dicas, & primitùs: Vtrū quilibet ſacerdos in neceſsitate poſſit ab omnibus peccatis abſoluere pœnitentē? *G.* In caſu neceſsitatis vbi de morte confitentis timetur, quilibet ſacerdos ab oībus peccatis poteſt abſoluere cōfitētē ab oī vinculo excōicationis, iniungendo tamē priùs ei quòd ſi ad ſtatū ſanitatis peruenerit, & neceſsitas ceſſauerit quòd adeat epiſcopum, vel eius pœnitentiariū: & ſuſcipienda pœnitētia pro maioribus peccatis pro quibus ei eſt remittendum. Similiter ſi excōmunicatus fuerit,

quòd adeat iudicem ad ſatisfaciendũ pro contumaciis & delictis. Alioquin ſi neglexerit in priſtinũ ſecundum Bonif. 8. retrudetur in ſententiam excõmunicationis, vt habetur de ſen. excõ. & interdi. Eos quia ſen. *P*. Nũquid extra neceſsitatẽ quilibet ſacerdos poteſt quemlibet abſoluere, & à quibuſcũque peccatis? *G*. Non, quia licet poteſtas ſacerdotalis quę cõfertur in ordine ſe extẽdat quantum eſt de ſe ad omnia peccata remittẽda: verumtamen ad vſum huius poteſtatis ſequitur iuriſdictio, quæ iuriſdictio à maioribus in ĩferiores deſcẽdit. Ideo poteſt ſuperior aliqua ſibi reſeruare, quorũ iudiciũ inferiori non cõmittit. Sũt autẽ quinq; caſus retẽti à iure: pro quibus ſimplex ſacerdos remittit pœnitẽtẽ ſuperiori. Primus eſt, quando imponẽda eſt ſolennis pœnitentia. Secundus eſt, de excõmunicatis à iure vel ab homine: quãdo inferior ſacerdos non poteſt abſoluere. Tertius eſt, quãdo inuenit in pœnitẽte irregularitatem contractã: pro cuius diſpenſatione debet eum ad ſuperiorẽ remittere. Quartus de incẽdiariis eſt. Quintus eſt, quãdo cõſuetudo eſt in aliquo epiſcopatu, quòd enormia crimina ad terrorẽ epiſcopo reſeruẽtur: quia cõſuetudo in

talibus dat & aufert poteſtatẽ. Huiuſmodi aũt crimina in his verſibus cõtinentur:

Qui facit inceſtum, deflorans, aut homicida,
Tranſgreſſor voti, periurus, ſortilegúſque,
Sacrilegus, patrum percuſſor, vel ſodomita:
Et mentita fides, faciens incendia, prolis
Oppreſſor, blaſphemus, hæreticus, omnis adulter,
Clerum percutiens: is adeat præſulem.

Iſtos caſus ſolẽt epiſcopi retinere. Sed in aliquib' dioceſibus ꝓpter peccantiũ multitudinẽ, & locorũ remotionẽ & ſcandali euitationẽ, Epiſcopi aliquorũ dictorũ caſuũ curatis ſacerdotib' cõmittũt poteſtatẽ. Etiã ſecũdũ cõſuetudinẽ locorũ abſoluũt à qbuſdã, & à quibuſdã nõ: vnde bonũ eſt caſus reſeruatos ab epiſcopis ſacerdotibus agnoſcere: qm̃ abſoluẽtes â retẽtis, quibus nõ poſſũt, peccãt. De his aũt caſibus ſupradictis papa retinet tres. ſ. ꝑcuſſorẽ clerici cũ atroci iniuria: incẽdiarios eccleſiarũ, & falſarios literarũ papalium. *P.* Expoſitionẽ dictorũ caſuũ mihi dicas. *G.* Expoſitio eorũ manifeſta eſt: verũtamen aliqua tibi dicã. Inceſtus, eſt cõcubitus carnalis inter ꝑſonas eiuſdẽ ſanguinis: ſicut cum matre, filia, ſorore, nepte, matertera, germana, vel eiuſdẽ affinitatis. ſ. cõſãguinea vxoris propriꝫ vſq; ad gradum prohi-

bitum. Et ſicut cauſatur ex parte viri ince ſtus: ſic ex parte vxoris, quãdo cognoſcitur à cognato viri ſui. Deflorãs. ſ. virginẽ: quia virginitas eſt ſummũ bonũ, & angelis cõparatur, & ei centeſimus fructus attribuitur. Et ideo illicita defloratio virginis. ſ. extra bona matrimonij ſummũ peccatũ eſt, & dicitur ſtuprũ: & ad hũc modũ refertur raptus q́ eſt violenta mulieris oppreſsio. Homicida. ſ. volũtarius ſicut inſidiãdo, inuadẽdo, conſiliũ vel auxiliũ præbendo: vel caſu facto debitã diligentiam non adhibẽdo, prohibẽs non remouẽdo, ſeu rei illicitæ, ex qua homicidiũ ſequitur operã dando. Trãſgreſſor voti. ſ. extra caſum neceſsitatis. Periur⁹, corã iudice, vel pluribus, ex quo ſcandalũ oritur. Sortilegus, diuinatores, carminatrices, dæmonũ auxiliũ ĩnuocãtes & eis reuerẽtiã facientes. Sacrilegus. ſ. auferẽdo rẽ ſacrã de loco ſacro: ad hunc caſum refertur violatio eccleſiarũ, vel locorũ ſacrorũ. ſ. violẽter hominẽ extrahẽdo: crimẽ fornicationis, vel ſanguinis effuſionẽ in eis perpetrãdo. Et ſimiliter monialẽ & benedictã mulierem carnaliter cognoſcendo, filiolam ſuã vel commatrẽ. Patrum percuſſor. ſ. volũtariè ratione vindictę vel iniurię, vel illicitum

faciendo: ex quo patris aut matris percuſ
ſio ſequitur. Sodomita.ſ. hominis cũ homine, vel mulieris cũ muliere extra debitũ: vel cũ bruto: ad hunc modum refertur omnis mollities carnalis: procuratio per contractũ mẽtita: fideles cũ intẽtione fallẽdi, decipiẽdi, vel dãnum inferendi: vt in ſeruis apparet, qui res dominorũ ſuorum ſeruare debent: ſimiliter vbi alteri præiudicium generatur: ſicut debitoribus apparet, vbi fidei promiſſę ſubuenire poteſt q̃rẽdo ſoluendi dilationẽ: ad hunc refertur etiam periurium perniciosũm. Faciens incendia domorum eccleſię, prȩter tamẽ caſum iuſti belli. prolis oppreſſor. ſ. ſponte: ad hunc caſum procuratio ſterilitatis, & abortiuorũ, & ſi fœtus procreatus fuerit & formatus in vtero, vel in ventre, homicidiũ eſt: & ad caſum homicidij refertur eius deſtructio. Blaſphemus. ſ. blaſphemãdo deũ ac ſanctos: & ſimiliter ad hunc caſum refertur omnis idololatria & dæmonum veneratio: quia hoc eſt blaſphemia in deũ & hæreſis eſt. Hæreticus. ſ. contrà deũ falſa ſentiẽdo: contra articulos fidei prædicando, docendo apertè, vel ſecretè: & omnes fautores, & conſentientes hæretici reputantur: ſimiliter ad hunc

caſum refertur prædictus caſus.ſ. dæmonũ veneratio: & omnis cõtumelia creatoris. Omnis adulter.ſ. accedens ad thorum alterius: vel thorum violans illicito concubitu, ſiue vir, ſiue mulier. Clericum percutiens.ſ. animo iniuriandi, vel violẽtiam inferendo in ſe, vel in rebus ſibi coniunctis: vt veſtimentis & huiuſmodi. Et ſi atrox fuerit iniuria aut enormis ad ſolum papam pertinet abſolutio. Sunt autẽ plures perſonæ quæ à ſuis prælatis abſolui poſſunt. Primò, quòd percutiẽs ſit in articulo mortis. Secũdò, ſi ſit hoſtiarius alicuius viri potentis, dũ tamẽ ex propoſito vel odio clericum grauiter non percuſſerit. Tertiò, ſi dominus percuſſerit ſeruũ leuiter & maximè quãdo propter eius abſentiam vel defectũ, damnũ incurrit. Quartò, ſi percuſſerit neſciens clericũ eſſe: etiã mulier clericũ percutiẽs, ſi ſuæ pudicitiæ inſidiatur. Quintò, ſi irregularis regularẽ percutiat, niſi ſit exceſſus enormis. Sextò, ſi percutiens ſit pauper. Septimò, ſi habeat inimicitias capitales. Octauò, ſi percutiẽs ſit impubes, ſenex vel impotẽs: in his caſibus poſſunt percutiẽtes clericum abſolui à ſuis prælatis non remittẽdo ad papam. Sunt autem ſeptem caſus alij, in

Caſus cõmunes quo ad percuſſores.

quibus percutiẽs clericũ excõmunicatio
nem non incurrit. Primus, ſi percuſſerit
cauſa diſciplinæ: vt magiſter vel præla-
tus. Secundus, ſi ex iocoſa leuitate percuſ
ſerit. Tertius, ſi inuenerit eũ turpiter con
uerſantem vel agentem cum vxore, ma-
tre, ſorore, vel filia. Quartus, ſi ſtatim vim
vi repellat cũ moderamine inculpatæ tu-
telæ. Quintus, ſi ignoret eum eſſe cleri-
cum. Sextus, ſi inuenerit in apoſtaſia poſt
trinam monitionẽ ei factam. Septimus,
ſi clericus ſe transfert ad actus penitus cõ
trarios, vt ſi fiat miles, pugil, aut bigam⁹:
etiam ſi in furto deprehendatur, vel occi
derit. In his caſibus percutiens clericum
ſentẽtiam excõmu. non incurrit, nec pec-
cat. *P.* Quia excommunicatio ſeparat ho
minẽ à ſacramẽtis, dic quomodo in foro
pœnitentiæ erga excõmunicatum ſit a-
gendum: an priùs debeat abſolui pœnitẽs
ab excõmunicatione quàm abſoluatur à
peccatis? *G.* Priùs debet abſolui pœnitẽs
à ſentẽtia excommunicationis ab eo qui
habet poteſtatem abſoluendi, eo quòd
excommunicatio ſeparat hominem à ſa-
cramentis, quàm abſoluatur à peccatis:
niſi caſus mortis immineat, in quo po-
teſt quilibet ſacerdos ab omni excom-

municatione & ab omni peccato abſ-
re, vt dictũ eſt. Tamen ei iniungẽdum eſt
ꝙ ſanitate recuperata ad iudicẽ eat: vt ſa-
tisfaciat de emẽda, & cõtumacia. Quod
ſi recuſauerit adire iudicẽ poſt ſanitatem
recuperatã, ſecundũ noua iura in priſtinã
ſententiã retrudetur: vt habetur in 6. lib.
de ſent. excõ. eos qui à ſententia cano. *P.*
Ad quẽ pertinet abſolutio excõicationis?
G. Duplex eſt excõicatio: vna dicitur ma
ior, & alia minor. Abſolutio maioris ex-
cõicatiõis, quæ lata eſt ab hoĩe ſeu à iudi
ce: pertinet ad eum qui tulit ſententiã ex
cõicationis, aut ad eius ſuperiorẽ. Si verò
excõicatio lata ſit à iure: tunc epiſcopus
poteſt abſoluere: exceptis ſex caſibus
quos ſibi papa iuris conditor reſeruauit.
Primus, eſt quãdo aliquis iniecit manus
violentas, ſuadẽte diabolo, in clericũ vel
religioſum. Secũdus, eſt de illo qui eccle
ſiã incẽdit, & eſt denũciatus. Tertius, eſt
de illo qui frãgit eccleſiã & eſt denuncia-
tus. Quartus, eſt de illo qui ſcienter com-
municat in diuinis excõicatis nominali-
ter à papa. Quintus, eſt de illo qui falſat
literas domini papæ. Sextꝰ, eſt de illo qui
cũ excõicatis cõicat in crimine pro quo
excõicati ſunt. Nõ debet em̃ abſolui niſi

Excõmunicatio duplex

ab eo qui eũ excõicauit (etiã ſi nõ eſt eius ſubditus) niſi propter difficultatẽ accedẽdi ad ipſum, & ſic abſoluetur ab epiſcopo, vel à ſacerdote proprio p̃ſtita iuratoria cautione ꝙ pareat mãdatis iudicis illius qui tulit ſentẽtiã, alioquin ĩ eãdẽ ſententiã retrudetur, vt dictũ eſt in p̃cedenti articulo. Vnde ſcias ꝙ ille qui ꝑticipat cũ excõicato in criẽ cũ conſciẽtia cõfortando & cõſulẽdo, vt obſtinatè ſuſtineat: maiorẽ excõicationem incurrit & nõ poteſt abſolui niſi à iudice qui tulit ſentẽtiam. Similiter quando aliquis excõicatur à iudice cũ ſuis participantibus: tunc participantes cum eo non poſſũt abſolui niſi à iudice, qui fert ſententiam niſi in caſu neceſsitatis, vt dictum eſt. Sciendum eſt tamen quòd Bonifa. 8. confirmãdo Decre. Inno. 4. & Grego. 10. ſuorum prædeceſſorũ prohibuerũt vt null⁹ iudicũ excõicare p̃ſumat maiori excõicatiõe ꝑticipãtes cũ excõicatis in locutione & aliis caſib⁹, quibus ꝑticipãs ſolũ minorem incurrit, niſi monitiõe canonica præmiſſa: aliter non teneat ſententia, vt habetur in cap. ſtatuimus, &c. Conſtitutionem, & cæt. Statuit de ſentent. excommunica. libro ſexto.

P. Poteſt ne excommunicatus abſolui à

iudice inuitus? *G.* Imò quia excomm. fertur in aliũ inuitum, ita etiã poteſt abſolui inuitus & manẽte excõmunicato in contumacia: poteſt iudex qui excommunicauit diſcretè remittere excõmunicationẽ iuſtè latã, ſi videat expedire ſaluti illius in quẽ excõmunicatio lata eſt. *P.* Nunquid ille qui excõmunicatus pluribus excommunicationibus poteſt ab vna abſolui remanente alia? *G.* Imò, quia excõmunicationes cognitionẽ non habẽt inuicem, & ideo qui eſt excõmunicatus pluribus excõmunicationibus, poteſt ab vna abſolui remanẽte alia: verũtamen quãdo aliquis eſt excõmunicatus pluribus excommunicationib⁹ ab vno iudice: ſi abſoluatur ab vna, intelligitur abſolui ab omnibus niſi contrarium exprimatur, vel ex pluribus cauſis & diuerſis ſit pluries excõmunicat⁹ ab eodẽ. A diuerſis verò iudicibus excõmunicatus ſi abſolutus fuerit ab vno: nõ eſt abſolutus ab aliis niſi abſolutio vnius confirmetur ab aliis. *P.* Quia excõmunicatio non infligitur niſi pro peccato: nunquid poteſt iudex abſoluere excõmunicatum à peccato pro quo tulit contra eum ſententiã, ſicut ab excommunicatione abſoluit? *G.* Tua Petre quæſtio poteſtatem

Excommunicaturquis inuitus.

clauium eccleſię requirit. Vt autem ſcias quid quæris, agnoſcere debes eccleſię clauem eſſe duplicem, quarum vna eſt clauis iuriſdictionis, & alia clauis ordinis. Clauis iuriſdictionis reſpicit eccleſiam militantem à qua indigni eiiciuntur per poteſtatem ſuperioris ad quos ſpectat iuriſdictio. Et ideo ſuperiores prælati hanc clauem iuriſdictionis habēt: & ad eos pertinet per excōmunicationem à perceptione ſacramentorū & cōmunione fidelium contumacem ſeparare, & eos ab excōmunicatione abſoluere: quia verò ſacerdotes electi, officiales, archidiaconi, & huiuſmodi, habent hanc iuriſdictionē & clauē iuriſdictionis: ideo delinquētes cōtumaces poſſunt excōmunicare, & ab excōmunicatione abſoluere etiā excōmunicatos inuitos. Clauis aūt ordinis reſpicit eccleſiā triūphantē, & habet dignos ad cœlū ordinare, indignos expellere. Ideo ſoli ſacerdotes qui ſunt mediatores inter Deum & hominē ſolùm habent hanc clauē: & per peccatum mortale eiicitur homo à regno cœlorum, ideo abſolutio mortalis peccati ad ſolos ſacerdotes pertinet, quia huiuſmodi ordinis clauē habent. Et ſcias ꝙ nullus à peccato inuit⁹ abſoluitur, licet

Clauis eccleſiæ duplex.

Non abſoluitur quis à peccato inuitus.

inuitus ab excõmunicatione abſolui poſſit quia omne peccatũ ex voluntate cõmittitur & procedit: Et ideo ſicut nõ cõmittitur peccatũ niſi ex volũtate, ita nõ remittitur niſi ex voluntate, ſcilicet, vt à nobis eſt impetratum voluntariè, ita voluntariè deteſtetur à nobis. Et ſic inuitus nõ abſoluitur à peccato aliquis. Sed ab excõicatione inuitus non poteſt abſolui, vt dictũ eſt ibi ſuprà. Igitur patet ꝙ licet iudices poſſunt abſoluere ratione iuriſdictionis ab excõicatione, non tamen à peccato: & ſi dicas ꝙ iudex ſacerdos ab vtroque abſoluit: dico ꝙ non: ſed abſoluit â pctõ, ratione qua iudex, & ratione ſuę iuriſdictionis, ſed ratione qua ſacerdos & quia habet clauem ordinis. Et quia excõicatio non fertur in aliquem niſi pro peccato: ideo ſemper poſt abſolutionẽ iudicis ab excõicatione debet fieri abſolutio à ſacerdote ꝑ peccato: & debet ſacerdos laicis intimare qui ea non cognoſcunt. *P*. De abſolutione maioris excommunicatiõis ad quẽ ſpectat, dixiſti. Nunc de abſolutione minoris excommunicationis dicas. Vtrum ſimplex ſacerdos poſsit à minori excõicatione abſoluere? G. Sic, ſed vt ſcias ex quibus cauſetur minor excommunica-

tio quæ prouenit participantibus cum excommunicatis maiori excommunicatione: his verſibus agnoſces:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, menſa, negetur:

Minor excõicatio quõ contrahitur.

Os, ſcilicet, oſculum dando. orate, vt non oretur, cũ eo. Vale ſcilicet, non ſalutetur. Communio, vt non communicetur cũ eo in ſacramẽtis. Menſa negetur, vt non comedatur cum eo. Vnde in his caſibus minorẽ excõmunicationem participãs incurrit: & à ſimplici ſacerdote poteſt abſolui, vt dictũ eſt, ibi: Si participans excõicetur cũ excõicato à iudice: non poteſt abſolui niſi à iudice excõicante. Et ſimiliter participantes in crimine ſuſtinendo, & fauendo excommunicato in crimine pro quo eſt excõicatus: talis participãs maiorẽ excõicationẽ incurrit, vt dictũ ibi eſt.

P. Nunquid licet cũ excommunicato aliquam participationem habere abſque peccato? *Guillelmus.* Licet in caſibus qui per hos verſus deſignantur:

Hæc anathema tibi ſoluunt, ne poſſit obeſſe:
Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Vtile ponitur: quia licet excõmunicato loqui pro vtilitate & ſalute aĩę ſuę: ſimiliter & alia verba ĩferre, vt familiarius & faci-

Quando eſt excõicato cõmunicandũ

lius verba ſalutis ſuæ recipiat: lex ad matrimonium refertur: quia mulier tenetur ſemper viro obedire & ei debitum reddere ſecundum legem: humile ad ſubiectionem refertur, quia filius tenetur obedire patri & ſeruire ei. Et loquitur hîc de filiis non emancipatis, quia emancipati filij tenentur euitare patrem excõmunicatum. Similiter ſeruus tenetur obedire domino in his in quibus domino eſt obligatus. Nota tamẽ quòd licet vxor poſsit participare cum viro excommunicato, & filius cum patre & ſeruus cum domino: verumtamen ſi feratur ſententia in virum, patrem aut dominum, vxorem, filios & ſeruos (interdicto eccleſiaſtico ſuppoſito) interdicti ſunt, nec ad ſacramenta recipiẽdi. Res ignorata quando ignoratur ſimpliciter quòd ſit excommunicatus. Neceſſe, ad neceſsitatem vitæ refertur: quia peregrinis tranſeuntibus per terram excommunicatorũ, licet eis cibaria emere, cûm non habeant aliunde recurſum, ſeu alibi nõ recipiãt: Vel neceſſe, refertur, ad excõmunicatũ cũ in articulo neceſsitatis extitit: quia tunc ſubuenitur naturæ: Ad primũ etiam caſum, ſcilicet vtile, vt dicũt quidã, repetitio debiti refertur: quia repetitio

debiti

debiti ab excõicato poteſt fieri: qa ſic mo netur ad ſalutẽ ſuã cũ ad ſatisfactionẽ mo netur. Similiter omnes caſus cõſimiles ad ipſum referuntur. Igitur vides Petre quia priùs abſoluẽdus eſt excõicatus ab excõmunicatione à iudice quã à ſacerdote pro peccatis: & quomodo participandũ ſit cũ excõicato, & quomodo nõ: ad quẽ pertinet ſententiã excõicationis ferre qui, ſcilicet, habẽt clauem iuriſdictionis ordinariam vel delegatã. Epiſcopi tamen autoritate propria clauem iuriſdictionis ordinariam habẽt in ſuis dioceſibus, & excommunicare autoritate propria poſſunt. Sacerdotes verò parrochianos excommunicare non poſſunt: niſi ex commiſsione eis ſpecialiter facta, aut in caſibus certis ſibi à iure conceſsis, ſcilicet, furto, rapina, & huiuſmodi. De duplici igitur excõmunicatione dictũ eſt. ſ. maiori & minori, quæ licet verè ſeparet hoĩem à ſacramentis & à ſacramentorum communione, nõ tamen vtraque à cõmunione fidelium & conſortio: quia maior ſolùm à cõſortio fidelium ſeparat, & non minor. Et de minori poteſt ſimplex ſacerdos abſoluere.

De altera parte pœnitentiæ, ſcilicet, ſatisfactione. Caput 16.

PEtrus. Quia in ſacramento pœnitentiæ poſt confeſsionem & ablutionē ſequitur ſatisfactio: ideo de modo ſatisfaciendi mihi dicas. Et primò ſi ſacerdos debeat tantam pœnitētiam iniungere quantam meruit peccator in peccando? *G.* Ad iniungēdam pœnitētiam pœnitenti non poteſt ſacerdos totam pœnitētiam iniungere pœnitenti, quæ pro peccatis mortalibus requiritur: quia in vita expleri non poteſt: ſimiliter, quia ſecundum quantitatem contritionis etiam pœna diminuitur quam ſacerdos non cognoſcit. Ideóque dicitur quòd pœnitentiæ ſunt abitrariæ, ſcilicet, ad arbitrium ſacerdotis qui diſcretè conſideret conditiones pœnitentium & poſsibilitatem. Vnde & ſi tota pœnitentia non ſoluatur in hac vita quæ pro peccatis debetur, in purgatorio expurgabitur, & ſoluetur poſt hanc vitam: quoniā reatus pœnæ tēporalis ſemper per confeſſionem remanet ad quem fuerat obligatus. Similiter non oportet quòd ſacerdos iniungat pœnitentiam ſemper, quæ de iure conſtituta eſt propter neceſsitates perſonarū: ſed vt dictū eſt, ad eius arbitrium diſcretum eſt imponenda. *P.* Nunquid infirmis iniungenda eſt pœnitentia? *G.*

Nõ,quia ſi illis iniũgeretur pœnitẽtia, ad illã tenerẽtur quã facere aut perficere nõ poſſent:ideo eſt eis innoteſcẽda & nõ iniungẽda. Vnde innoteſcẽdũ eſt eis vt doleãt de peccatis & cõſolẽtur de miſericordia dei:& ꝙ per amicos ꝓcurent eleemoſynas & orationes,& huiuſmodi pro ipſis fieri. Similiter ꝙ habeãt ꝓpoſitum abſtinendi à peccatis ſi de infirmitate conualeſcant aut reſurgant. *P*. Nunquid poteſt vnus pro alio ſatisfacere? *G*. Ad euidentiã tuę quęſtionis ſcias duplicẽ eſſe effectum ſatisfactionis. Primus, eſt exciſio cauſarũ ſequentiũ pctõrũ:& iſto modo pœnitentia eſt medicina quędã ad euitandũ peccatũ:ſicut ieiunium & peregrinatio quæ domat corpus pœnitentis& attenuat vt amplius in illud peccatum non cadat,& iſto modo non poteſt vnus pro alio ſatisfacere:quia peregrinatio& ieiuniũ vnius non domat corpus alterius. Secundus effectus pœnitẽtiæ,eſt ſolutio debiti pctõrũ præcedentiũ in quo pœnitẽs fuerat obligat᷒ poſt contritionẽ, confeſsionẽ & abſolutionem. Quantũ ad hoc vnus poteſt ſatisfacere pro alio,ita tñ ꝙ ille ꝑ quo alter ſatisfacit ſit in charitate &gratia,& ꝙ habeat aliquẽ defectũ pro quo ſatisfacere non *Satisfactio per aliũ.*

poſsit, nec ſatisfactionē facere quā alius pro eo facit: quia ſi in peccato mortali fuerit, ſatisfactio ab alio pro eo ei nō ꝓdeſt: & ſi potens fuerit debet pro ſeipſo ſatisfacere: poteſt tamē ab alio adiuuari. *P.* Nunquid indulgentię proſunt pœnitētibus ad abſolutionem pœnæ ad quam pœnitens eſt pro peccatis obligatus? *G.* Scias ꝙ quādoque pœnitens eſt ad maiorem pœnam obligatus quàm ſit illa quę à ſacerdote ei iniungitur, quæ in purgatorio purganda eſt niſi indulgentiæ quæ ex merito paſſionis Chriſti & ſanctorum concedantur: quæ tantùm valent quantū prædicantur. Ideo à debito illius pœnæ pœnitentem abſoluunt vel diminuunt eam pœnam.

De indulgentiarum valore.

Scias etiā ꝙ ad hoc quòd īdulgētiæ valeant, quatuor requirūtur, videlicet, duo ex parte ſuſcipientis, & duo ex parte dantis. Primò, ex parte dantis requiritur potentia, & hoc pertinet ad clauem iuriſditionis & ad ſuperiores pertinet, ſcilicet, ad papam & ad epiſcopos qui habent diſpenſationem theſauri eccleſiæ, ſcilicet meriti paſſionis Chriſti & ſanctorum.

Secundò, requiritur cauſa rationabilis dādi, ſcilicet, vtilitas eccleſiæ, & hoc pertinet ad clauem ſcientię: vnde pro vtilitate

eccleſiæ & veneratione ſanctorum ſunt dandæ indulgentiæ. Et ſic iſta duo, ſcilicet, authoritas & vtilitas eccleſiæ requiruntur. Et quia papa plenariam poteſtatem habet ſuper theſaurum eccleſiæ & alii prælati limitatam: ideo ſolus papa plenariam poteſtatem habet dandi indulgētiam, epiſcopi verò ſecundum eius conceſsionem. Ex parte verò ſuſcipientis ſimiliter duo requiruntur, ſcilicet, idoneitas & diſpoſitio ſuſcipientis, ꝙ ſit in ſtatu gratiæ & ſine peccato mortali. Secundum, eſt deuotio & fides ad impletionem eius quod per indulgentiam denotatur. Iſta ergo quatuor de neceſsitate ad hoc quòd indulgentiæ valeant debent concurrere: & ſi vnum defuerit, indulgentiæ nō valent. Sic patet ꝙ indulgētiæ valent pœnitentibus & confeſsis ad diminutionem pœnæ debitæ peccatis.

De modis ſatisfaciendi. *Caput* 17.

PEtrus. De modis aliis ſatisfaciendi mihi dicas: quot ſunt partes ſatisfactionis quibus pœnitentiæ ſunt iniū gendæ? *G.* Tres partes ſatisfactionis ſunt, ſcilicet, oratio, eleemoyſyna & ieiunium: quia pœnitentia, vt dictum eſt, non ſolū eſt ſatisfactoria pro peccatis præteritis *Satisfactionis partes.*

ſed eſt medicina contra futura peccata.
Ideo conueniens videtur vt talis pœnitē-
tia iniungatur quæ ſit remedium contra
futurorum occaſiones peccatorum. Ideo
contra verboſos & vacabundos oratio-
nis pœnitentia imponatur: quia oratio e-
leuat mentem in deum. Contra guloſos
& delicioſos ieiunij pœnitentia detur:
quia ieiunium ſanat peſtes corporis. Con
tra auaros & ambitioſos, pœnitētia elee-
moſynæ donetur: vt ſic contraria contra-
riis curentur. Ad orationem verò perti-
nent omnia opera ſpiritualia. Ad eleemo
ſynam omnia opera miſericordiæ. Ad ie-
iunium omnia carnem affligentia: ſicut
vigiliæ, peregrinationes, diſciplinæ, & hu
iuſmodi. *P*. De quolibet iſtorum mihi di
cas, & primò de oratione. Vtrum orando
ſemper requiratur actualis attentio?

De oratione.

G. Neceſſaria eſt attentio in oratione ad
conſequendum finem & melius pręmiū:
quia tamē mens hoīs labilis eſt, ſufficit ha
bitualis attētio: q̄ ex prima attētione actu
ali procedit & virtutē habet ex ea: ſicut vi
demus in exēplo proiectionis lapidis. Si
cut motio hoīs lapidem proiiciētis durat
per eſſentiam actus, dum manum lapidi
apponit mouendo: ſic virtus ſecundæ mo

tionis lapidis manet dum lapis ex vi motionis virtus cõtinuè debilitetur: aut quia lapis quieſcit, aut à contrario motu moueatur niſi iterum moueatur: & ſic ſuo modo de oratione. Quia oratio primò mouetur deuotione orãtis, & attẽtione actuali ſecũdũ eſſentiã. Sed quia mẽs ad alia propter infirmitatẽ hoĩs & euagationẽ mentis rapitur: ideo manet attẽtio virtute & habitualiter, vt mota ab attẽtione actuali, ſcilicet, prima deuotione: ſicut motio lapidis habet virtutẽ à primo mouẽte, & effectũ: ſic oratio habet effectum ſuum ex prima attentione actuali & deuotione, niſi tanta fiat euagatio quòd oratio amittat virtutem primæ attentionis: ſicut patet in illis qui horas ſuas dicendo ad alia ſe trãsferunt, quod non poteſt eſſe ſine culpa, & maximè quando ad contrarium rationis mens ſe transfert: ſicut ad peccata illicita, tunc non eſt ſine culpa mortali. Ideo neceſſarium eſt, vt homo in orando aut horas dicendo frequẽter reuocet cor ſuum ad ſeipſum. Ideo nota quòd in oratione debet eſſe triplex attẽtio. Prima eſt ad verba quibus petim⁹. Secũda eſt ad petitionem ipſam. Tertia eſt ad ea quæ petitionẽ circunſtant, ſicut eſt neceſsitas pro *Attentio triplex.*

qua deus petitur & rogatur. Et ſi aliquã iſtarum abſit, non eſt reputanda attenta oratio: quia etiam illi qui non intelligũt petitionis verba ad orationem attenti eſſe non poſſunt. Et ideo eis ſufficit prima & ſecunda attentio: vt patet in laicis qui verba latina non intelligunt: in ſumma ergo ſcias quod euagatio mentis in oratione facta à propoſito non eſt ſine peccato, & impedit fructum orationis, ſi ad contrarium orationis fuerit, pecccatum mortale eſt: ſi verò nõ fiat euagatio à propoſito ſed ex infirmitate mentis ſolummodo, non eſt peccatum nec impedit orationis fructum, cùm virtutem habeat ex prima attentione, vt dictum eſt. *P.* Nũ quid debet eſſe oratio ſemper vocalis & non mentalis? *G.* Oratio communis quę fit pro populo à miniſtro eccleſiæ debet eſſe vocalis vt omnibus innoteſcat. Oratio verò ſingularis perſonæ ſiue fiat pro ſe, ſiue pro aliis poteſt eſſe mentalis: veruntamen vocalis ei adiungitur propter tria. Primò, ad excitãdum interiorem deuotionem. Secundò, vt homo deo ſeruiat de omnibus quæ habet: non ſolùm mente, ſed etiam corpore & ore. Tertiò, vt mẽtis affectio vehementiùs per vocẽ ex

primatur. *P.* Nunquid ille qui tenetur ad diuinum ſeruitium dicendum, vt pote horas canonicas, & illud omiſit eſt iniungendum quòd iterum illud dicat. G. Non quia ad hoc ſeruitium diuinum eſt ordinatum vt ordinatè dicatur: & ideo ſi oporteret ſemper vt omittens illud idem diceret & reſumeret, inordinatè diceret illud: quia officium paſsionis fortè diceret poſt paſcha, quod eſſet abſurdum, ideo iniungendum eſt eis aliud, vt pote, Pſalterium & huiuſmodi. *P.* Quæ oratio ad ſatisfaciendum magis congruit quæ laicis eſt iniungenda? G. Oratio dominica. P. Ediſſere mihi quæ ſunt illa quæ in ipſa petimus? *G.* Septem petitiones in ipſa continentur quæ tibi breuiter declarabo: primò tamen vt fiducialiter ad ipſum accedamus eius charitatem primitùs & maieſtatem confitemur: ideo dicimus: Pater noſter. Ecce charitas eius erga nos vt ipſe ad nos tanquam ad filios condeſcendat, deinde eius excellentiam cõfitemur, cùm dicimus: qui es in cœlis: qui es per eſſentiam & nunquam deficis: in cœlis ſuper omnia & excellentiam & poteſtatem habes. Deinde accedimus ad petendum: quia ipſe finis noſter eſt. Ideo petimus vt

In oratione dominica 7. petitiones.

eo fruamur & eius gloria: ideo petimus primò nomen eius in nobis ſanctificari, vt ſic in eum deſiderium noſtrum per dilectionem feratur. Ideo dicitur: ſanctificetur nomen tuum: non quod in ſe ſanctum non ſit (cùm ſemper ſanctum ſit) ſed ſanctificetur in nobis & per illud ſancti ſimus. Secundò, petimus ex hoc eius gloria perfrui, ideo ſequitur: adueniat regnum tuum. Deinde petimus quinque, quæ nos ordinant ad ipſam gloriam, quorum duo per nos ordināt, alia tria per accidens. primũ quod nos ordinat ad gloriā quod eſt tertiũ in petitione, vt ſemper ei obediamus: ideo ſequitur: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, quaſi dicat: ſicut angeli obediunt tibi in cœlo, ita tibi obediamus in terra. Quartò, petimus vt detur nobis ſubſidium perueniendi ad hunc finem vt vita noſtra ſeruetur tam ſpiritualis quàm corporalis, ideo dicitur: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: ſiue intelligatur de ſacramento eucharistiæ per quem ſpiritualis vita conſeruatur: ſiue de pane materiali per quem vita corporalis ſeruatur. Deinde petimus tria, quæ nos ordinant ad ipſam curiam, per accidens, per remotionem prohiben-

tis. Et ſunt tria quæ nos impediunt ad per ueniendum ad beatitudinem.

Primũ eſt peccatum. Ideo petimus ipſum remoueri à nobis, ſic dicendo: Et dimitte nobis debita noſtra, & cæte. & hæc eſt quinta petitio. Secundò, petimus remoueri à nobis tentationem quę nos diſturbat. Et ſic ſequitur ſexta petitio. Ideo dicimus: & ne nos inducas in tẽtationem. Tertiò, petimus amoueri pœnalitatem præſentem: & ſic eſt ſeptima petitio, ideo dicimus: Sed libera nos à malo. Et ſic ſunt ſeptem petitiones dominicæ orationis. Et ſic Petre, quantum ad te ſpectat de oratione tibi dixi.

De Eleemoſyna corporali. *Cap.* 18.

PEtrus. De ſecunda parte ſatisfactionis, ſcilicet, de eleemoſyna mihi dicas an cadat ſub præcepto, & qualiter ſit eleemoſyna? *Guillelm.* Eleemoſyna eſt duplex: quædam corporalis, alia ſpiritualis: & vtraque cadit ſub præcepto affirmatiuo: & quia præcepta affirmatiua non ob ligant ſemper, ſed pro loco & tempore & ſecundũ conditiones alias determinatas:

ideo oportet cõſiderare cõditiones ex par te dantis, primò quòd faciat de ſuperfluo non ſolùm reſpectu ſui: ſed etiam reſpectu familiæ cuius curam gerit. Similiter conſideranda eſt ex parte ſuſcipientis neceſsitas, ſcilicet, an in neceſsitate ſit ille cui datur. Et iſto modo eleemoſyna corporalis cadit ſub præcepto, ſcilicet, dare de ſuperfluo & indigenti: quia de neceſſariis ſibi aut familiæ & ei qui non habet neceſsitatem non cadit ſub præcepto, ſed magis ſub conſilio. Similiter de eleemoſyna ſpirituali eſt dicendum quod cadit ſub præcepto pro loco & tempore & aliis circunſtantiis: quia non ſemper eſt corrigendus proximus ſeu monẽdus: ſed pro loco & tempore, & conſiderato modo admonendi & corrigendi ex parte corrigentis, & ſpes meliorandi ex parte eius qui corripitur, & de hoc infrà dicetur. *P*. Incipe ab eleemoſyna corporali & dic mihi quot ſunt eleemoſynæ corporales? *G*. Septem, quæ per hunc verſum deſignantur:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Viſito, ſcilicet, infirmos: poto, ſcilicet, ſitientes: cibo, ſcilicet, eſurientes: redimo ſcilicet, incarceratos: tego, ſcilicet, nudos

colligo, ſcilicet, hoſpites: condo, ſcilicet, mortuos ſepeliendo. *P.* De quo debet fieri eleemoſyna? *G.* De proprio & non de alieno *P.* Ergo de malè acquiſitis non fit eleemoſyna? *G.* Scias quod aliquid dicitur malè acquiſitum tripliciter: vno modo, quia debet reſtitui, & cui illicitè aufertur: ſicut de rapina, furto, & huiuſmodi: & de tali fieri non poteſt eleemoſyna: ſed reſtituendum eſt ei cui aufertur. Alio modo, aliquid dicitur malè acquiſitum: quia dans & accipiens contra diuinam iuſtitiam faciunt: ſicut ſimoniaci, & tale non eſt reſtituendum ei qui dedit: nec eſt remanendum apud eum qui accepit, ſed debet in eleemoſynis erogari. Tertio modo, aliquid dicitur illicité acquiſitum ratione actus acquirendi, non ratione acquiſitionis: ſicut in meretricio cuius act⁹ eſt illicitus & à deo prohibitus. Tamen illud quod datur pro opere non eſt illicitum: ſed poteſt mulier accipere locationem ſui corporis & de ea eleemoſynam facere, verumtamen non debet fieri de eo ſacrificium nec oblatio ad altare, tam propter reuerentiam ſacramenti quàm propter ſcandalum, etiam propter peccati deteſtationem. *P.* Nunquid de acquiſi-

Malè acquiſitum tripliciter dicitur.

tis in ludo taxillorum poteſt fieri eleemoſyna? *G*. Propter ludentium cupiditatem prohibitus ludus eſt; ideo ille qui lucratur retinere non poteſt, nec ille qui perdidit recipere debet: ſed eſt in eleemoſynis erogandum: niſi contraria conſuetudo fuerit quæ permittit ludos fieri propter recreationem ciuium ſolùm, & non propter lucrandi cupiditatem. Ille tamen qui lucratur ab his qui non ſunt ſui iuris: ſicut ſunt minores, furioſi, & ſerui, qui dominorum ſuorum res alienare non poſſunt, tenentur ad reſtitutionem dominis, quorum res perditæ fuerant. Similiter etiam ille qui trahit alium ad ludum fraudulenter, vel fraudem in ludo committit ad reſtitutionem tenetur ei qui amiſit, nec debet de eo eleemoſyna fieri.

P. Nunquid vxor, pueri, ſerui, monachi, & huiuſmodi poſſunt eleemoſynas facere abſque ſuorum ſuperiorum licentia? *G*. Illi qui ſunt ſub poteſtate conſtituti de rebus ſecundum quas ſuis ſuperioribus ſubiiciuntur non licet eis facere eleemoſynas, ſine ſuorum ſuperiorum licentia, niſi vrgente neceſsitate: quia tamen in neceſsitate omnia ſunt commu-

nia: etiam de alieno poteſt ſuccurrere indigenti: vnde monachus qui adminiſtrationem non habet, non poteſt eleemoſynas facere de bono eccleſiæ abſque conſenſu abbatis expreſſo, vel præſumpto. Si tamen adminiſtrationem habet, poteſt de rebus ſibi commiſsis eleemoſynas facere ſecundum quod cadunt in vſum ſuum, & idem eſt de muliere: quòd ſi nihil habeat præter dotem, non poteſt eleemoſynas facere niſi de conſenſu mariti ſui expreſſo vel præſumpto. Si tamen res habeat ſicut ex lucro ſuo vel alio modo, poteſt eleemoſynas facere ſed moderatas ne per eas vir depauperetur. Similiter nec ſeruus poteſt de rebus domini ſui eleemoſynas facere: quia licet eas habeat ad diſpẽſationem & gubernationem domus, non tamen ad donationem. Veruntamen aliqua modica quæ ſtatim poſſent corrumpi, poſſunt dare: quia in hoc conſenſus domini præſumitur. Eodem modo etiam dicendum eſt de filiisfamilias: quia licet filiusfamilias ſit hæres patris, quia nondum habet dominium ſupra res patris, ea dare non poteſt vt priùs. *P.*

Nunquid clerici tenentur erogare ea quæ ſibi ſuperfluunt? *G*. Clerici de

rebus patrimoniorum ſuorum poſſunt vti pro libito voluntatis ſuæ,dum tamen peccatum non fuerit, ſcilicet, luxuriando,vſurando, & huiuſmodi. Ideo poſſunt eas ſeruare ad releuationem neceſſitatum ſuarum, vel etiam eas amicis ſuis diſtribuere: vnde eas ſic ſeruando aut dando non peccant, dum tamen modum ſeruandi non excedant,ſcilicet, ſeruando eas tempore neceſsitatis non ſubueniendo pauperibus. De rebus verò eccleſiæ cùm clerici non ſint domini ſed ſolū miniſtri: ſi ſuperflua pauperibus non erogent,peccant. Veruntamen ſcias quod bona eccleſiaſtica tripliciter diuiduntur.quia quædam ſunt pauperum: qui hæc retinet & non diſtribuit fur eſt & latro. Alia ſunt quæ redeunt in partem eccleſiæ ad eccleſiam reparandam, & hæc etiam in alios vſus conuerti non debent. Alia ſunt ad vſus ſeu vſum miniſtrorum, ſicut præbendæ,& huiuſmodi. In his dicendum eſt ſicut de bonis patrimonij dictum eſt: quia ſeruando ea moderatè pro neceſsitate non peccant. Etiam poſſunt in neceſsitate moderatè ſuis amicis carnalibus diſtribuere. *P*. Quibus danda eſt eleemoſyna: vtrum propinquiori, vel meliori, vel ei qui magis

Quibus eleemoſyna facienda.

qui magis indiget? *G.* Indigenti dãda eſt eleemoſyna meliori & magis indigenti: nec dãda ſemp̃ eſt eleemoſyna meliori & ſecundum virtutes deo propinquiori, ſed magis indigenti, cùm eleemoſyna diuinitùs ſit inſtituta ad ſubleuandum proximi neceſsitatem. Sed nota quòd in eleemoſynis debent tres gradus conſtitui, ſcilicet, honeſtũ, debitum, neceſſarium: vnde honeſtũ eſt in propinquiorib⁹, vt priùs ſubueniatur: debitum autẽ vt benefactoribus ſubueniatur & precipuè melioribus. Sed neceſſariũ eſt vt magis ſubueniatur indigenti Et ſic amicis & propinquioribus ſubueniendum eſt in neceſsitate: cùm ex radice charitatis quadam ſorte nobis obuenit, vt priùs eis ſubueniamus cęteris paribus. Verũtamen ex charitatis merito meliori & vtiliori ad bonum commune priùs eſt ſubueniendum, & eleemoſyna danda propinquiori. Ideo nõ ſunt immunes à peccatis qui indignos parentes ad beneficia eccleſiaſtica promouẽt, dignis & melioribus relictis. Et ſic breuiter priùs eſt amicis ſubueniendum neceſsitate vrgente. Ceſſante autem neceſsitate meliori & vtiliori eſt eleemoſyna magis danda indigenti & diſtribuenda.

P. Nunquid ioculatoribus danda eſt eleemoſyna? *G.* Quandoque licitũ eſt eis dare & quandoque non: quoniã ludus neceſſarius eſt ad conſeruationem vitæ humanæ: quia quies in ludo habetur, & ſolatiũ humanæ naturæ. Et ideo ſecundum philoſophum & Tullium: Virtuoſum eſt vti ludo honeſto tempore debito. Ideo ludẽtibus propter recreationem hominum ludo honeſto & tempore debito, licet eis dare pro ſeruitio & labore, & eleemoſynam facere. Hiſtrionibus verò & ioculatoribus vtentibus verbis inhoneſtis vel factis non licet dare aliquid: quia eorum dicta vel facta ſunt magis ad confuſionẽ quàm ad conſolationem. Ideo qui talibus donat, peccat: quia eos fouet & ſuſtinet in peccatis. *P.* Nunquid poteſt aliquis ſibimet eleemoſynam facere? *G.* Propriè loquendo, non: nullus enim poteſt ſibimet facere eleemoſynam, loquendo de eleemoſyna corporali: quia eleemoſyna eſt opus miſericordiæ. Miſericordia autem alienam miſeriam reſpicit: & illam, ſuam facit. Ideo propriè nullus ſibimet eleemoſynam facit. Veruntamen ex conſequenti poteſt ſibi commodum facere ex eleemoſyna: ſicut cùm diſtributio elee-

moſynarum facit commodum : & ex eccleſiarum adminiſtratione ſibi etiam poſſet accipere ſi indigens fuerit, & neceſsitatem habuerit, ſicut daret alij indigenti. *P*. Nũquid poſſunt eleemoſynæ quæ debent pro defunctis diſtribui, licitè differri abſque defuncti detrimento? *G*. Abſolutè loquendo non debent differri, ſed ſtatim diſtribui: verumtamen ſi executor aliquãtulum differat dare: vt res defuncti amplificet, eas plus vendendo vel meliorando, non peccat: ſed laudabile eſt. Si verò econtrario faciat propter negligentiã ſuam vel ſuum proprium commodum ſine defunctorum commodo, peccat. *Petr.* Nunquid ex tali dilatione defunctus patitur? *G*. Scias quòd duo detrimenta patitur mortuus ex dilatione diſtributionis eleemoſynarum. Primum detrimentum quod patitur, eſt tolerantia pœnæ. Secundum, eſt ſubtractio remedij & adiutorij. Ex parte autem eleemoſynæ ſunt duo remedia. Primũ, eſt meritũ eccleſię. Secundũ, effectus eccleſiæ: quãtũ ergo ad meritũ eccleſiæ defunctus nullũ detrimẽtũ patitur propter dilationẽ diſtributionis, nec maiorem pœnam patitur. Sed quantùm ad effectum eleemoſynæ qui eſt adiuto-

rium & remedium, defunctus patitur non quantùm ad pœnam: ſed quia remedium ſuffragiorum ei non adhibetnr, propter tarditatem diſtributionis. Et ideo peccant qui eleemoſynas defunctorum abſque ratione differunt nec diſtribuunt, & ſibiipſis damnationem acquirũt. Hæc tibi Petre de eleemoſyna corporali ad præſens ſufficiant.

De eleemoſyna ſpirituali. Cap.19.

P*Etrus*. Nunc de eleemoſyna ſpirituali mihi dicas quot modis habet fieri?

G. Septem ſunt eleemoſynæ ſpirituales, quæ per hunc verſum deſignantur.

Conſule, doce, caſtiga, ſolare. remitte, fer, ora.

Conſule, ſcilicet, ignorãtem: Doce errantem: Caſtiga delinquentem: Solare deſolatum: Remitte iniuriæ reatum: Fer, ſupporta lapſum: Ora pro inimicis.

P. De caſtigatione quæ eſt fraterna correctio aliis omiſsis ad præſens audire volo. Et primò vtrum debeam ſemper corrigere delinquentem & nunquam dimittere? *Guillelmus.* Sicut dictum eſt ſuprà in principio hui⁹ capitis, fraterna correctio cadit ſub præcepto affirmatiuo, & ideo ſuas circunſtantias requirit: quia non in quocunque loco nec quocunque

Fraterna correctio.

tempore corrigendus eſt. Et ideo ſcias quòd fraterna correctio dimittitur tripli ci ratione. Primò, ratione charitatis & hoc meritoriè quando probabiliter timetur ne deteriores fiant delinquentes corrigendi, vel alios à bono impediant, vel à fide auertant, vel ab hoc infirmos premant, vel à bona via & vita pia erudiendos impediant. A talium correctione pro loco & tempore abſtinere licet, vt dicit Auguſtinus. Non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis. Secundò, dimittitur fraterna correctio cum peccato mortali, ſcilicet, quando propter timorem humanum vel cupiditatem, ſeu fauorē: peccator dimittitur corrigi: Et præcipuè quando præſumitur quòd propter correctionem poſſet à pec cato retrahi. Tertiò, omittitur fraterna correctio & hoc cū peccato veniali quando, ſcilicet, propter aliquem timorem vel cupiditatem quis efficitur tardior ad fratrem corrigendum: tamen propter hoc non dimitteret fratrem corrigere ſi de eius emendatione ſperaret: & ſic ſancti viri quandoque negligunt corrigere delinquētes. Tempus autem quo quis obligatur ad correctionem fraternā, eſt cùm

delinquẽs ſibi occurrit & poteſt commo
dè corripi,& ſperatur eius emendatio: &
non eſt alius cui ex officio incumbat cor
rigere,vel ſi ille cui incumbit ſit negligẽs
in corripiendo. Contrà autem excuſatur
quis à præcepto correctionis fraternæ:
quando videt fratrem ex hoc deteriorari,
vel quando ſcit ſuperiorem eius paratum
ad corrigendum delinquentem. *P.* Quibus incumbit fraterna correctio? *G.* Scias quòd duplex eſt fraterna correctio. Vna eſt actus charitatis, & hæc fit per ſimplicem monitionem:& talis pertinet omnibus charitatẽ habẽtibus, ſiue fuerit ſubditus ſiue prælatus:& iſto modo poteſt inferior ſuperiorẽ ſuum delinquẽtem cum mãſuetudine & reuerẽtia corrigere. Alia eſt correctio quæ eſt actus iuſtitiæ, quæ fit per punitionem vt alij magis timeant: & hæc pertinet ad ſuperiores ſolùm, qui non ſolùm debent monere,ſed etiam punire: & talis correctio non pertinet ad inferiorem reſpectu ſuperioris, cùm non habeat ſuper ipſum iuriſdictionem, ſed magis econuerſo. Prima autẽ correctio, quæ eſt actus charitatis non poteſt prætermitti ad tẽpus: quando videlicet dubitatur ex ea deterioratio ſequi: Sed ſecun-

da quæ eſt actus iuſtitiæ nullo modo debet prætermitti,& ſi delinquens deterioretur ex ea. Vnde iudex nullo modo debet prætermittere ſententiam damnationis in peccante, propter perturbationes,aut timorem eius ſiue amicorum ſuorum.*P.*Nunquid poteſt peccator corrigere?*G.* Quicũque alium corrigit debet ſe à peccato ſuo priùs emendare. Vnde ſi prælatus delinquẽs corrigit ſubditũ delinquentẽ,peccat,indignè vtens officio ſuo: verũtamen per ſimplicẽ monitionem,vel rogationẽ poteſt prælatus & quicũque alius ſubditus etiã in peccato notorio exiſtẽs delinquentẽ monere,vt deſinat à peccato : quia à ſuo exẽplo non incitatur ad malũ:& talis ſic corrigẽdo & monẽdo & rogãdo,non peccat.*P.*Nũquid ſecreta admonitio præcedit publicã denunciationem,ſicut dicit dominus in euangelio? Si peccauerit in te frater tuus corripe illũ inter te & ipſum ſolùm.*G.*Si peccatum fratris eſt manifeſtum & publicum: publicè debet manifeſtari,propter correctionem aliorum,vt inde exemplum aſſumant. Si verò peccatũ ſit occultum,aut illud peccatũ ſit in nocumentũ proximorũ corporaliter:quia vult incẽdere ciuitatẽ,vel alium

occidere vel ſpiritualiter: quia hæreticus & homines priuatim à fide auertit: tunc oportet ſtatim quòd procedatur à denunciatione, niſi firmiter ſperetur quòd per ſimplicem admonitionem poſſet illa mala impedire. Si veró peccatum occultum ſit ſolùm in nocumentum peccantis vel eius qui eum corrigit, debet per ſimplicem admonitionem corripi. Poſtea ſecũdum præceptũ domini, ſi noluerit emendari, debet corã duobus vel tribus argui, ſeruando tamen famam quantùm poteſt: & ſi nõ poteſt eius fama ſeruari, quia peccatũ ſuum multiplicat, dominus voluit ꝙ cum diſpendio famę publicè argueretur. Et ſic patet ꝙ ſecreta admonitio debet præcedere publicam denũciationem. *P.* Ergo peccant religioſi qui fratres publicè coram aliis de ſuis culpis in capitulis arguunt & proclamant? *G.* Nõ, quia tales proclamationes quæ fiunt in capitulis religioſorum ſolùm fiũt de leuibus quæ famæ fratris non derogãt: ſi verò eſſet tale de quo fama fratris læderetur, eſſet cõtra præceptũ domini, qui per hũc modũ peccatũ fratris publicaret. Et ſi prælatus præciperet generaliter vel alicui ſpecialiter quod publicaret illud peccatũ quo fama

fratris lædi poſſet,cũ ſit occultũ, non eſt ei obediendum: quia contra præceptum domini nullus tenetur obedire, & qui obediret peccaret:& ſi prælatus hoc præciperet. Aliter tamen eſſet peccatum ſi per aliquas ſuſpiciones vel indicia aliqualiter publicarent:quia in tali caſu poſſet prælatus præcipere eo modo quo iudex exigendo iuramentum de veritate dicenda præciperet. Hæc de eleemoſyna tam corporali quàm ſpirituali ad præſens tibi Petre, quæ dicta ſunt ſufficiant

De ieiunio. Cap. 20.

P*Etrus.* De tertia parte ſatisfactionis. ſ. de ieiunio mihi dicas: ſi ieiunium ſub præcepto cadat? *G.* Quia per ieiunium carnis cõcupiſcentia reprimitur, mens eleuatur, virtutes conſeruantur, ideo ieiunium communiter eſt de præcepto iuris diuini & naturalis. Sed determinatio temporis ieiuniorum & modus ieiunandi ad ius poſitiuum.ſ.ad pręlatos eccleſiæ: & iſto modo ieiunium cadit ſub præcepto eccleſiæ:vnde, qui ex contemptu vel ſine cauſa rationabili tranſgreditur ieiunium,peccat mortaliter:tanquam contemnens eccleſiæ mandatum vel pręceptum. *Petrus.* Qui ſunt qui à ieiunio

abſoluuntur? *G*. Pueri, debiles, infirmi, & compulſi ex neceſsitate.

P. Vſque ad quot annos tenentur pueri ad ieiunia obſeruanda? *G*. Vt communiter dicitur ad 20. annum, vel ad 21. quia pueri propter actum nutritiuæ & augmentatiuæ virtutis indigent pauco cibo, & frequenti quãdiu ſunt in tempore augmenti. Tempus autem illud ſecundum philoſophum, eſt tẽpus 21. Vnde in ſumma Raymundi c. defer. in glo. dicitur ꝙ pueri à 20. annis & ſuprà ieiunare tenentur. Nec ante hãc ætatem credo aliquem eſſe compellendum ad huiuſmodi ieiunia, nec ſtatim pòſt. Quia quidam ſunt in 21. anno vel 22. debiliores, quàm alij in 17. vnde ad arbitrium boni viri recurrendum eſt. Et ſequitur ex dictis illius gloſſæ quòd pueri vſque ad aliud tempus ad ieiunia non tenentur: iſta tamen nõ ſunt publicè prædicanda, cùm ad concupiſcentiam iuuenes & ad gulam faciliter moueantur. Ideo conueniens eſt vt citiùs ante tempus dictum moueantur ad exercenda ieiunia ſecundum quod eorum virtus roboratur. Eodem etiam modo iudicandum eſt de infirmis, quòd ſecũdum arbitrium boni viri eſt limitandũ eorum

ieiunium. *P.* Quid de peregrinis & laborantibus eſt agendum? *G.* De peregrinis ſcias quòd ſi peregrinatio commodè differri poteſt, debet prætermitti, & ieiuniū perfici. Si verò neceſsitas immineat quod prætermitti non poſsit nec differri peregrinatio: quia compelluntur homines ire in exercitium ex pręcepto eccleſiæ: ſicut tranſmarinare tempore paſſagij: vel aliud iter neceſſariū arripere quod oportet facere, à ieiunio excuſantur, ſi ieiunare non poſſunt. Vnde ſi propria voluntate peregrinationem arripuerint in quadrageſima, cū ad illā non teneātur, vel alio tēpore præcedenti poſſent illas peregrinationes feciſſe, non excuſantur à ieiunio. Et ſi ea tranſgrediantur, peccant, & tenentur alio tempore ieiunia fracta recompenſare ſecundum conſilium eccleſiæ: vnde ſuper hoc à ſuis presbyteris ante quadrageſimam ſunt monendi. De curſoribus magnatum, quorum vſus eſt neceſſarius, ſi eos recurrere oporteat & ieiunare, non excuſantur. De laborantibus & operantibus terrarum, vinearum, fullonum, metallorum, & cæteris talibus, vbi opus eſt magno labore: ſi adeo ſunt pauperes quòd per ſeipſos opor-

teat colligere vineas proprias: aut aliunde victum ſufficienter non habeant pro ſe & familia ſua cuius curam habent, niſi laborando, & laborare non poſſunt niſi ieiunia frangant: poſſunt ieiunia frangere & laborare. Similiter ſi ſerui ſint ruſtici qui debeant facere opera dominis ſuis, non peccant mortaliter ieiunia frangendo: hoc tamen per diſpenſationē eccleſię vtile eſt fieri. Si verò operarij diuites ſint quòd poſsint per alios opera ſua perficere, non excuſantur: ſed ſi velint laborare vel operari perſonaliter: ita laborem patiantur ante prandium laborando, quòd non oporteat eos ieiunium ſoluere: vnde cõſtat quòd intentio maioris lucri & non neceſsitas non excuſat operarium à ieiunio: nec ſunt immunes à peccato qui operarios conducere nolunt niſi tali pacto quòd ieiunium ſoluāt, vt plus operentur: niſi fortè ſit neceſsitas quæ feſtinationem operis pro quo laboratur, expoſcat.

Petrus. Quid de ſeruientibus nobilium? *Guillelmus*. De ſeruientibus qui habent ſeruire ad menſas eorum, ſi ex cauſa neceſſaria aliquantulum præueniant horam comedendi, ex toto comedendo: vel præbibant modicum ne propter de-

bilitatem in ſeruiendo deficiãt: & hoc fa ciant poſitis iam menſis vel parum ante, ita quòd propter continuationem tempo ris totum debeat reputari vna menſa, nõ credo quòd peccent: ſicut non peccãt ſer- uiẽtes in mediocri ſtatu perſonis, qui ſur gunt de menſa dominorũ ſuorum vt va- dant ad vinum vel vt portent obſonia, & iterum reuertentes comedunt. Idem cre- do de regularibus qui legunt legendas in refectorio ad mẽſam: ſicut dictum eſt de ſeruientibus diuitũ & nobiliũ, dũ tamen hoc ex licẽtia faciãt. De minoribus noui tiis in ſoluendo ieiunio vel non ſoluen- do: credo tenẽtur magis diſcretioni præ- latorum aut diſpenſationi quã proprio iu dicio acquieſcere. *P.* Quid de prægnanti- bus & nutricibus dicendum eſt? *G.* Si ti- meatur probabiliter de periculo earum ſi ieiunauerint: ſicut de periculo fœtus in vtero in prægnantibus, vel de victu pueri ad vbera in nutricibus: non ſolùm poſ- ſunt ſoluere ieiunia, ſed etiam tenentur. Quantùm autem ad diſpenſationem ieiu nij ſi cõſtet omnibus vicinis de cauſa pro pter quam ſoluendum eſt ieiunium, non neceſſarium eſt quòd petatur diſpenſa- tio. Si autem dubium eſt illis quibus ſol-

uendum eſt ieiunium,& aliis, petatur diſpenſatio ab epiſcopo, aut eius pœnitentiario ſi epiſcopus non affuerit: Si veró non poſsit haberi vterq; , ſufficit licentia proprij ſacerdotis. Similiter, ſi cauſa manifeſta ſit infirmo,& non ſit manifeſta aliis,debet petere licentiam frangendi ieiunium propter ſcandalum aliorum. Nullus autem authoritate propria debet ieiunia frangere ab eccleſia inſtituta. Omnia enim & quæ dicta ſunt de ieiunio require in ſumma prædicta, ſcilicet, Raymundi,in glo.ca. de ſeruis. *P.* Nunquid paupertas ſemper excuſat à ieiunio? *G.* Illi pauperes qui non poſſunt habere ſimul quod ad vnam comeſtionem ſufficere debet,excuſantur à ieiunio:ſicut ſunt illi qui fruſtatim quærunt panem. illi enim qui poſſunt habere illud, non excuſantur. *P.* Quæ ſunt tempora ieiuniorum? *G.* Primũ tempus eſt in principio veris ante feſtum paſchæ,ſcilicet, tempus quadrageſimæ,tã propter refrenationẽ concupiſcentiæ quę multùm viget in illo tẽpore, quàm propter pręparationem ad gratiam quę cõfertur in baptiſmo,quæ ſolennizatur in vigilia paſchæ,quam etiã propter ſumptionẽ dignam ad ſacramẽtum euchariſtię, quã

Tempora ieiuniorum.

quilibet chriſtianus fidelis debet aſſumere. Item propter ieiunium quadrageſimæ in quo omnium dierum quaſi decimam ſoluimus in ſingulis quadris anni: tres dies ieiunij ſunt inſtituti, qui quaſi in primitias computantur, & ad expiandum peccata ſingularum quartarum: & dicuntur ieiunia quatuor temporum. Similiter in ſolennitatibus præcipuis, vigilias ieiunamus, vt promptiores ad deuotionem ſimus, ad ſolennitates ſanctorum celebrãdas & obſeruandas. Et ſcias quòd licet omni tempore ieiunium ſit laudabile: diebus tamen dominicis non ieiunamus, cũ ſit dies lætitiæ & non afflictionis. Similiter ad deteſtationem erroris Manichæorum qui eo die ieiunabãt. P. Quæ cibaria ſumenda & quantùm in die? *G*. Illa cibaria ſumenda in ieiuniis quæ concupiſcentiam non mouent, vel minus mouẽt. Vnde carnes animalium & lacticinia, cùm multùm conformentur complexioni hominum & ſtatim conuertuntur in materiam ſeminis, prohibita ſunt, maximè in quadrageſima. Quia verò piſces non ita conformantur complexioni hominum, nec ita cito in materiam ſeminis conuertuntur, ſicut & carnes: ideo nõ ſunt

Cur abſtinetur carnibus & non vino.

prohibiti. In aliis ieiuniis ſecundum obſeruantiam locorum fit abſtinentia à lacticiniis & ouis. Vinum autem licet inflammet concupiſcentiam, tamē non prohibetur ieiunātibus: quia eius inflammatio non tantū durat quātum inflammatio concupiſcentiæ, quæ procedit ex eſu carnium, ſed cito tranſit. Similiter non prohibetur propter impedimentum digeſtionis quæ nimis debilitaretur. De inſtitutione autem ieiunij ſcias ꝙ inſtitutū eſt, vt ieiunantes ſemel in die tantùm comedant: licet poſſunt pluries bibere propter digeſtionem. Similiter ſumptio electuariorum & aliarū medicinarū ieiunium iſtud ab eccleſia inſtitutum non ſoluit: niſi ſumat fortè aliquis in magna quantitate in fraudē, per modum cibi: quia ſic ieiunium frangeret. Hora comedendi eſt hora nona vel circa: quia tali hora Chriſtus emiſit ſpiritū quia ieiunantes debent ſe conformare paſsioni Chriſti. Nec requiritur determinare horam nonam ſecūdum ſubtilem æſtimationem, ſed ſecundum groſſam: vt ſic circa horam nonam propter neceſsitatem, poteſt aliquantulū prçueniri. Hæc tibi Petre de ieiunio ſufficiant ad præſens.

De reſti-

De reſtitutione & materia eiuſdem.
Caput 21.

P*Etrus.* De reſtitutione mihi dicas quę ad ſatisfactionē pertinere videtur. Et primò, vtrum reſtitutio ſit de neceſsitate ſalutis? *G.* Sic, quia ſeruare iuſtitiam eſt de neceſsitate ſalutis. Reſtitutio enim, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ: quia alteri reddere quod ſuum eſt, eſt iuſtitia: & ideo reſtitutio eſt de neceſsitate ſalutis. *P.* An de furto, rapina, & huiuſmodi debet fieri reſtitutio? *G.* Rem alienam furtiuè retinere non licet: & qui eam capit ad reſtitutionem tenetur, niſi in caſu extremæ neceſsitatis, in quo oĩa ſunt cōia: nec hoc habet rationem furti. Verumtamē in rebus minimis, quæ tanquam derelictę videtur à domino furtum non committitur: ſi accipiantur occultè: ſicut eſt acus, poma, & huiuſmodi, nec ad reſtitutionem accipiens tenetur: niſi ille qui accepit habeat animum furandi & nocumētum inferendi proximo, quia ſic furtum committeret & peccaret, & ad reſtitutionem teneretur: quamuis paruum eſſet Scias tamen quòd ſi aliquis accepit rem alterius occultè authoritate iudicis hoc decernētis, fur

tum non committit: quia ſibi debitum factum eſt ei ſententialiter adiudicatum.
Petrus. Nunquid ille qui rem ſuam occultò accepit ab alio detentam, furtũ comittit? *Guillelmus.* Non committit furtum nec ad reſtitutionem tenetur, cùm nõ grauet eum qui iniuſtè retinet: ſed peccat contra cõmunẽ iuſtitiã dum ipſe vſurpat ſibi ſuæ rei iudicium, ordine iuris prętermiſſo, & tenetur deo ſatisfacere & confiteri. Verumtamen quidam dicunt quòd ſi perſona quæ rem detinet ſit ita fortis, quòd alius non poſsit contra eum litigare accipiendo ſic rem ſuam, non peccat: quia in hoc obtinet vim iuris: ſimiliter ſi iudex ſit abſens vel fauens iniuriãti: quia in talibus, vt dicunt, conceditur cuilibet à iure rem ſuã accipere, nec peccat, nec ad cõfeſsionẽ tenetur. Et hæc eſt opinio Godefridi quolibeto ſuo xij.q.xviij. Opinio tamen Thomæ quæ prima eſt communis tenetur: de his verò qui rem ſuam apud alium depoſitam furtiuè accipiunt: ſcias quòd peccant quia grauant depoſitarium, & poſſet compelli ad reddendum. Ideo ad reuelandum tenetur, & reuelandum grauamen depoſitarij. *Petrus*. Nunquid poteſt aliquis rem-

iniuriãtis accipere furtiuè pro re ſua violenter detenta? *G.* Rem alterius loco rei ſuæ ablatæ etiam violenter, cum in re illa nũquam dominiũ habebit, non licet acci pere alicui: & qui hoc facit, peccat, & ad reſtitutionem tenetur: & hæc eſt opinio magiſtrorũ. Alij dicunt vt ſuprà, quòd ſi poſsit rem ſuam repetere ordine iuris, nõ debet furtiuè accipere: verumtamẽ ſi non poſsit propter potentiam iniuriantis aut abſentiam iudicis, vt dictum eſt: poteſt vſque ad valorem ſuæ rei de rebus detinentis accipere, cùm res detinentis ſint pro re detenta obligatæ erga oppreſſum, & hoc ius concedit: verumtamem tu tiùs eſt vt nihil accipiatur alienum, cũ iuſta æſtimatio difficiliter habeatur, & ad accipiendum ſint homines proni. *Petrus.* De rapina mihi dicas: Vtrum ſit rapina grauior quàm furtum? *Guillelmus.* Scias ra pinam grauius & deteſtabilius eſſe pecca tum quàm furtum: inquantum magis repugnat voluntati eius cui aufertur. Vnde, furtum cõmittitur per ignorantiam illius cui aufertur: ſed rapina per violentiam. Ideo cùm nullus potentiam habeat ſuper aliũ niſi per poteſtatem publicã: quicunque violenter alteri aliquid au- *Rapina grauior furto.*

fert non vtens poteſtate publica rapinam committit, & ad reſtitutionem tenetur: principes tamen qui ſunt cuſtodes iuſtitiæ propter conſeruationem iuſtitiæ & reipulicæ, ſi exigant quod eis ſecundũ iuſtitiam debetur, etiam ſi violentiam adhibeant, non committunt rapinam. Similiter ad impugnandum hoſtes, ſi per violentiam à ſubditis aliquid accipiant, rapinam non committunt. Si verò abſque ratione & contra iuſtitiam aliquid abſtulerint violenter, rapinam committunt & ad reſtitutionem tenentur, ſicut latrones: ſimiliter illi qui in bello prædãtur, ſi bellum iuſtum fuerit, rapinam non committunt, licet peccent ex nimio appetitu accipiendi. Si verò iniuſtum bellum, peccant in accipiendo & rapinam committunt: & ad reſtitutionem tenentur.

De Vſura. *Caput* 22.

PEtrus. De vſura mihi dicas ſi liceat aliquid accipere pro pecunia mutuata: & ſi recipiatur, an ad reſtitutionem teneatur? *G.* Ad diſſolutionem quæſtiõis tuę primitùs ſcias ꝙ quędam ſunt res, quarum vſus eſt ipſarũ conſumptio; ſicut pe-

cunia conſumitur diſtribuendo, vinum bibendo, bladum comedendo, oleum lignúmque comburendo, & conſimilia. Et in talibus cùm non habeant vſumfructũ, non poteſt ſeorſum computari res & vſus rei Sed cuicunque cõceditur vſus rei, conceditur ipſa res. Et cui tales res conceduntur per mutuum, transfertur in eum cui mutuatur ipſarũ dominiũ. Vnde, qui mutuat alteri pecuniam ſeu bladum, vinum, oleum, & huiuſmodi: non poteſt ſu per illud retinere dominium cùm vtẽdo corrumpatur: & ideo vſus talium rerum vendi non poteſt: quia ſi quis vellet vendere bladum, vel vinum, & ſeorſum vſum vini vel bladi venderet: eandem rem bis venderet, vel illud quod non eſt: cùm vinum ſit tam potatum ſeu bladum comeſtũ: & ſic contra iuſtitiam faceret & peccaret. Simili modo qui etiam mutuat vinum vel triticum, & petit vnam recompenſationem æqualem rei: & aliam recõ penſationem pro pretio vſus rei: contra iuſtitiam facit, & tale mutuum aut venditio vſura dicitur, quæ ſecundum ſapientẽ dicitur incrementum fœnoris: & ſic in omnibus talibus rebus quæ vtendo conſumuntur, pro vſu rei nihil ſuſcipiendum *Res duplices.*

eſt: quia vſura eſt. Sunt autẽ aliæ res quarum vſus non eſt ipſarum rerum conſumptio, & habẽt vſũfructũ: ſicut ager, equus, domus, & ſimilia: & in talibus poteſt vendi ſeorſum res & vſus rei, & etiam mutuari: ſicut cùm aliquis equum, aut argrum, vel domum poteſt pro vſu equi vel dom⁹ aut agri accipere pretium, & in hoc non peccat. Vnde manifeſtum eſt cũ vſura ſit contra iuſtitiã, vt dictum eſt, peccatũ eſt, & reſtitui oportet. Nec propter hoc peccant qui propter neceſsitatem ſuam accipiunt pecuniam alterius ſub vſura: quia ſubueniunt ſuę neceſsitati: ſecus autẽ qui abſque neceſsitate ſumeret pecuniã ſub vſura: quia ſic peccaret, & vſurarium induceret ad peccatũ. Similiter ille eſt particeps vſurarij peccati, qui ei præbet aut præſtat pecuniam vt ex ea vſuras exerceat. In generali ſcias quòd non licet pro pecunia mutuata vel alia quacunque re quę vtendo conſumitur, exigere ſupra quantitatem pecuniæ vel rei mutuatæ, ſeu valorem pro tempore quo mutuatur. Vnde manifeſtè vſuram committunt, & peccãt qui bladum, vinum, & huiuſmodi mutuant vel vendunt ad pretium ipſius ſubſequens: quia tunc vſum rei iam conſum-

Quando peccat qui ſub vſura mutuum accipit.

ptæ vendũt,ſimiliter& tp̃s. Similiter q̃ res carius vẽdunt quã ſit iuſtũ pretiũ propter expectationem ſolutionis, vſuram cõmit tũt: quia expectatio ſolutionis habet ratio nẽ mutui, & ij tẽpus ſimiliter vendunt. Similiter qui emit rẽ minus quã ſit iuſti pre tij, propter anticipationẽ ſolutionis, vſurã cõmittit: quia illa anticipatio ſolutionis habet rationẽ mutui, cuius quidẽ pretium eſt illud qđ dirimitur de iuſto pretio. Et hoc maximè in reb⁹ quę tradi nõ poſſunt ſicut illi qui emunt bladũ in herbã, & huiuſmodi. Similiter qui debet ad certũ terminũ pecuniam vel aliud: ſi aliquid ſibi dimittatur, vt citius ſoluat, vſurã committit manifeſtè, quia tẽpus ſolutionis vẽdit, & ad reſtitutionẽ tenetur. Nec excuſatur per hoc quod ſoluendo ante terminum grauatur. Similiter illi qui pecuniã accipiũt mu tuò ſub vſuris: & volentes recuperare vſuras vendendo pãnos, aut alia mobilia pluſ quàm valent, propter ſolutionis expectationẽ, vſurã committunt, cùm in hoc tempus vẽdatur: & illa expectatio rationẽ mu tui habeat, nec poſſũt ſe excuſare eo quòd volunt ſe ſeruare indemnes, recuperando in hoc vſuras quas debent: poſſunt tamen mercatores licitè vendendo res ſuas

repetere moderatas expenſas, quas fecerunt importatione eorum: ſicut patet in pannis & conſimilibus rebus: nec tamen poſſunt ſuperfluas expenſas repetere. Item ſcias quòd ſi alicui pro pecunia obligatur domus, ager, aut alia res cuius vſus pretio æſtimari debet: ille qui mutuauit vſum illius rei, debet computare in ſolutionem & reſtitutionem pecuniæ mutuatæ: niſi talis res fortè fuerit cuius vſus inter amicos concedi conſueuit ſine pretio: ſicut eſt liber & huiuſmodi. Igitur ſũmatim teneas quòd nullo modo licet pro pecunia mutuata aliquid accipere, quod pecunia æſtimari poſsit: etiam pro alia re non habẽte vſumfructũ, vt dictum eſt.

P. Ergo ille qui mutuauit & damnum incurrrit ex mutuatione pecuniæ ſuæ, nõ poterit damnum ſuum repetere, vt videtur?

G. Scias quod ille ſolummodo qui amore beneuolentiæ mutuat alteri pecuniam vel aliam rem, & non pretio, poteſt ex pacto deducere cum eo qui accipit mutuum in recompenſationem damni, quod mutuans incurrit ex huiuſmodi mutuatione. Sicut cùm debet reddere pecuniam ad certam diem, & ille non ſoluit: & propter defectum ſolutionis mutuans damnum in-

currit. Poteſt repetere damnũ ſuum: nec hoc eſt pecuniam vendere, ſed ſe indemnem ſeruare. *P*. Nunquid fauor vel obſequium poteſt recipi pro pecunia mutuata? G. Beneuolentia, amor, & huiuſmodi poſſunt ex mutuo recipi: tamen non poſſent pecunia æſtimari: munus tamen â manu pecunia menſurari poteſt, quod patet in ſeruientibus, qui ſuũ obſequiũ vẽdunt. Et ſimiliter in aduocatis laborem ſui conſilij & pœnam vendunt: verum tamen tale munus ab obſequio vel à lingua ex ſola beneuolentia poteſt recipi: non quaſi ex recompenſatione mutuatæ pecuniæ. Similiter autem poteſt recipi munus à manu vel donum gratuitũ: non ex pacto tacito vel expreſſo, quod etiam dans donaſſet, antequam pecuniam mutuo recepiſſet. Ideo donum ex beneuolentia ſolummodo poteſt mutuans recipere: quia propter mutuationem non efficitur peioris conditionis. Etiam nota quod licet non poſsit pro pecunia mutuata plus exigi quàm pecunia: tamen ille qui committit pecuniã mercatori vel artifici per modum ſocietatis, poteſt ille qui mutuat partem lucri quod ex ea prouenit expetere, ſicut de re ſua: quia dominium non

transfertur in pecuniam eſſe cui commiſit,ſed magis remanet in mutuante. Et hoc intelligitur quando periculum damni non ſolùm ſpectat ad ſuſcipiētem, ſed etiam ad dantem & mutuātem. Et ſic bene licitum eſt quòd vnus ſocius det pecuniam, alius ſuppleat laborem. *P*. Nunquid omnia quæ lucrata ſunt pecunia vſuraria ſunt reſtituenda? *G*. Poſſeſsiones quæ ex vſuris ſunt comparatæ, & non fuerunt, nec ſunt eorum quorum fuerunt vſuræ non ſunt eis totaliter reſtituendæ, cùm ex induſtria ſua & labore ſuo ille qui recipit vſuras, illas acquiſierit. Etiam fortiùs quia plus valent quàm vſurarij: ſed quia obligatæ ſunt his quorum fuerunt vſuræ: ideo præcipitur vt vendantur & ipſarum prædia reſtituantur ſecundum quantitatem vſurarum receptarum. Et ſic intelligitur illa decretalis, extra de vſuris: Cùm tu ſicut aſſeris. Nota tamen quòd ille qui recipit domum vel agrum aut rem aliam quæ habet vſumfructum ab alio ſub vſuris, non tenetur ſolùm reſtituere domum vel agrum aut rem quā accepit, ſed tenetur fructus inde perceptos reſtituere: quia fructus illarum rerum ſequuntur eas & eis debentur. Aliud

tamen eſt de rebus quę non habent vſum fructum: vt vinum, bladum, & huiuſmodi: quia ſolùm eas tenetur reſtituere, illi qui per vſuram eas recipit. Nec illud quod eſt acquiſitum ex illis rebus reſtituatur, cùm non ſint fructus earum ſic acquiſiti: ſed humanæ induſtriæ, niſi fortè per detentionem illius rei alter cuius res eſt quæ per vſuram extorta ſit nimis damnificatus: quia tunc ille qui per vſuram eam recipit tenetur ad recompenſationem nocumenti.

P. Nunc de reſtitutione aliarum rerum mihi dicas: ſicut de nocumentis illatis in perſona vel in rebus. *G.* De damno illato in perſona, ſicut eſt abſciſio membri vel defloratio virginis: quia non poteſt reſtitui ad æquale, cùm membrum abſciſum & integritas carnis reſtitui non poſsit, debet ſecundum recompenſationem reſtitui: ſicut in pecunia vel honore ad arbitrium boni viri. Et hoc intelligitur de puella quando per violentiam corrumpitur: quia ſi ex volũtate eius ſine fraude & violentia corrũpatur, non tenetur ad reſtitutionẽ qui eã violauerit. De fama verò ſcias quòd tripliciter poteſt quis alterius famam auferre.

De damno illato reſti- tutio qualiter faciẽda.

Primo modo, dicendo verũ & ordine debito ſeruato, ſicut probando crimen alterius ſecundum ordinẽ iuris: & ſic non tenetur reſtituere. Secundo, verum dicendo, ſed non ordine: & ſic tenetur ad reſtitutionem famæ quantùm poteſt abſque mendacio, ſcilicet ſe malum dixiſſe dicendo: vel eum iniuſtè diffamaſſe: & ſi famam ei reſtituere non poteſt, debet ei aliter recompenſare. Tertio modo, falſum dicendo & iniuſtè: & ſic tenetur famam reſtituere, & quibus prodiit etiam omnibus falſum criminoſè mentitum fuiſſe, & falſum dixiſſe. Et ſcias quòd illi qui ex officio ſuo habent prouidere ſaluti aliorum, peccant niſi infamiam à ſe repellant: cùm fama ſit neceſſaria ad ædificationem proximorum. Repellitur autem infamia dupliciter: vel cauſam infamiæ ſubtrahendo vel linguas detrahentium compeſcendo. Circa verò reſtitutionem faciendam propter damnum illatum rebus: ſcias quòd aliquis damnificatur in rebus dupliciter. vno modo, quia aufertur ei quod actu habet: tale damnum reſtituendum eſt ſecundum recompenſationem æqualem, ſicut comburendo domum, interficiẽdo equum: & huiuſmodi

De damno illato rebus.

reſtitutio debet fieri ſecundum valorem domus vel equi. Alio modo verò, impeditur aliquis ne adipiſcatur illud quando erat in via habendi: & tale damnum non oportet reſtituere ex equali, ſed ſecundũ iuſtam æſtimationem damni, cùm poſsit pluribus cauſis impediri: ſicut de blado ſeminato & lucro impedito non tenetur damnificans ad totum prouentum reſtituendum: ſed ſolùm iuxta æſtimationem damni illati ad arbitrium boni viri. De impedimento verò beneficij ne alter adipiſcatur: nota quòd multipliciter poteſt impediri. Vno modo, impedit quis iuſtè ne alter beneficium vel præbendam obtineat intendens ad honorem & commodum eccleſiæ: vt ſi detur digniori, cùm alter dignus non ſit: & ſic reſtituere non tenetur. Alio modo, impeditur iniuſtè, ſcilicet, cauſa odij vel inuidiæ, aut vindictæ ſumendæ. Si nõdum beneficium ille qui impeditur obtineat: ſed ſolùm ſit in via habendi, non tenetur impediens ad reſtituendum æquale, cùm ille non ſit illud adeptus, & poſſet pluribus cauſis impediri: ſed tenetur ad reconciliandum & recompenſandum ſecundum arbitrium boni viri. Si verò ſit iam adeptus beneficiũ *De auerſore beneficij.*

vel iam firmatum & det impedimentum per cauſam indebitam: ad reſtitutionem æqualis tenetur: *P*. Nũquid reſtitutio ſemper eſt facienda illi à quo res ablata eſt, vel damnum infertur? *G*. Si poſsit inueniri debet ei reſtitutio fieri vel eius hæredi, cùm vna perſona computetur cum eo. Si verò ſit multùm diſtans debet ei tranſmitti, & præcipuè ſi ſit res magni valoris. Nec ex ea ſe teneatur reſtituens grauatũ quòd ei mittat, & expenſas faciat in mittendo: quia hoc eſt in recompenſationem damni illati, quod alter habuit propter defectum rei ſuæ. Si verò non poſsit ei commodè mitti, debet in loco tuto poni vt pro eo ſeruetur. Si autem ille cui reſtitutio eſt facienda ſit omnino ignotus: debet reſtitutio fieri ſecundum quod poteſt per eleemoſynas, vel alio modo ſecundum conſilium eccleſiæ. *P*. Nunquid ſemper reſtituere tenetur qui damnum infert vel rem accipit? *G*. Semper tenetur primò & principaliter: alij tamen conſentientes ex conſequenti: quia vt dicit Apoſtolus: Digni ſunt morte non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Ideo omnes illi qui ſunt cauſa iniuſtæ acceptionis vel damni illati, ad

reſtitutionem tenentur. Contingit autem nouem modis qui per hos verſus notantur.

Iuſsio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtãs, non manifeſtãs.

Iuſsio, qui iubet, ſcilicet, iniuſtè accipere vel damnum inferre. Conſilium, qui conſulit. Conſenſus, qui expreſſè conſentit, ſine quo ſequi non poterat: Palpo, adulando ex cuius adulatione ſequitur damnum alterius, dicendo eſſe ſtrennuum factum, & huiuſmodi. Recurſus, receptando & ſuſtinendo damnum, & res ablatas. Participans, ſocius malefici j. Mutus, ſcilicet ille cui incumbit ex officio reprehendere malefactorem: vel per conſilium impedire: & hoc ſi non facit ad reſtitutionem tenetur: non obſtans, ſcilicet ille cui ex officio incumbit obuiare malefactoribus, ſicut princeps qui ſubtrahit auxilium & inde damnum ſequitur, ipſe reſtituere tenetur. Cùm principum ſtipendia ſunt ad hoc eis data. Non manifeſtans, ſcilicet ille, qui tenetur manifeſtare malefactorem quando latitat. omnes enim prædicti ad reſtitutionem tenentur: verumtamen principalis in facto tenetur: ſecundus ex conſequenti, & conſequen-

ter alij vnus reſtituerit ei qui damnum habuit. Alij eidem amplius non tenetur: Sed principalis in facto tenetur ſatisfacere & reſtituere ei qui pro eis reſtituit. *P*. Nunquid illi qui in bello accipiunt, rapinam committunt & ad reſtitutionem tenentur? *Guillelmus.* Si illi qui deprædantur hoſtes iuſtum bellum habent, non committunt rapinam in accipiendo, nec ad reſtitutionem tenentur: licet peccare poſsint in modo accipiendi præ nimia cupiditate ex praua intentione. Si verò non iuſtum bellum habent accipiendo, committunt rapinam, & ad reſtitutionem tenentur. Scias tamen quòd ad hoc quod bellum ſit iuſtum tria requiruntur neceſſariò. Primum, eſt authoritas principis cuius mandato bellum eſt gerendum: quia principibus & publicis perſonis pertinent bella mouere, & non perſonis priuatis. Secundum, eſt cauſa iuſta: vt ſcilicet, ſit iuſta intentio & recta: vt ſcilicet, illi qui impugnant & ſint culpabiles. Tertiò, requiritur intentio vt ſcilicet, qui pugnant, intendant malum corrigere & bonum promouere. Et hæc tria ſi ita concurrunt bellum iuſtum & licitum efficitur. Vnde ſi ille qui pugnat

Bellum iuſtum.

&

gnat in tali bello iuſto accipit aliqua, non tenetur illa reſtituere: ſed etiam ſuum eſſe conceditur. *P.* Nunquid præſcriptio ſemper valet? *Guillelmus*. Præſcriptio mala fide habita non valet. Vnde ſi quis lõgo tempore mala fide præſcripſerit, ſecũdum ius canonicum reſtituere tenetur, reddẽdo quod abſtulit & cui abſtulerit: nam ius canonicum ſemper intendit animarum commodum. Nullus autem in peccato mortali ſaluari poteſt. Ideo qui mala fide præſcripſerit, eſt in peccato mortali, cùm rem alterius retineat iniuſtè. Peccatum autem non dimittitur, niſi priùs reſtituatur malè ablatum. Quod autẽ præſcriptio mala fide habita non ſit ſine peccato, habetur de præſcriptionibus: Quoniam omne: Vbi dicitur quòd omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Synodali iudicio diffinimus, quòd nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica quàm ciuilis: Cùm generaliter ſit omni conſtitutioni & conſuetudini derogandum: quod abſque peccato mortali non poteſt obſeruari: Vnde requiritur qui præſcribit vt in nulla parte temporis conſcientiam habeat rei alienæ. Si verò præſcribat bona fide poſ-

Præſcriptione acquiſita bona.

ſidendo non tenetur ad reſtitutionem: etiam ſi ſciuerit alienam fuiſſe poſt præſcriptionem.

Hæc igitur de reſtitutione facienda poſt damnum Petre, quo ad præſens tibi ſufficiant.

Emptio & venditio.

PEtrus. Quia circa emptiones & venditiones fraus conſiſtit, in quibus etiam quandoque cadit reſtitutio: ideo de ipſis mihi aliquantulum dicas. Et primò, ſi liceat rem plus vendere quàm valeat. Cùm venditio & emptio ſint inuenti pro communi vtilitate hominum, ſcilicet, quia re alterius alius indiget: non debet magis eſſe grauamen vnius quàm alterius: ideo debet ſecundum æqualitatem rei contractus inſtitui: qua æqualitas rei & quantitas menſuratur ſecundum pretium pecuniæ, pro qua res datur. Et ideo ſiue pretium excedat quantitatem valoris rei, vel res excedat pretium, tollitur æqualitas iuſtitiæ. Et ſic vendere cariùs, aut viliùs emere rem quàm valeat, eſt illicitum, & ſecundum ſe eſt peccatum. Veruntamen ſi in emptione & venditione, alter multùm læditur: vt puta, ſi emptor multùm indigeat re alterius qua alter læditur, ſi

ea careat: in tali caſu iuſtum eſt non ſolùm vt reſpiciatur ad rem quæ venditur, ſed ad damnum quod venditor incurrit. Et ſic ſubueniendo damno vendentis poteſt res vendi licitè pluſquàm valeat ſecundum ſe: licet non vendatur pluſquàm valeat neceſsitatem habenti. Si tamen venditor non damnificatur carendo re ſua, non debet eam plus vendere quâm valeat:licet ille qui emit augeatur ex ea: quia vtilitatem quæ accreſcit alteri non eſt ſuum vendere:licet poſſit vendere damnum ſuum,cùm pretium rerum non ſit determinatũ.Inde eſt quòd modicùm plus vendere vel minus emere non tollit æqualitatem iuſtitiæ: ſed ſatis permittitur.

Petrus. Dic mihi quomodo venditio illicita eſt propter defectum rei? *G*. Tripliciter redditur venditio illicita, propter defectum rei. Primus defectus eſt, ſecundum ſpeciem rei: ſicut ſi vendatur aqua pro oleo, vel ſtannum pro argento: & hunc defectum ſi venditor cognoſcat in re quam vẽdit,fraudem committit, & reſtituere tenetur, etiam ſi vendat auricalcum pro auro.Secũdus defectus,eſt ſecũ- *Defectus rei vendita.*

dum quantitatem quæ per menſuram cognoſcitur : ideo ſi venditor ſcienter vtatur deficiente menſura, peccat : & ad reſtitutionem tenetur. Nec per hoc, eſt inconueniens eſſe diuerſas menſuras ſecundum diuerſitatem locorum, per diuerſitatem copiæ & inopiæ rerum : quia vbi maior copia rerum abundat, neceſſe eſt maiorem menſuram habere. Et hoc pertinet ad rectores ciuitatis, & non ad priuatas perſonas: ideo eas præterire non licet. Tertius defectus, eſt ex parte qualitatis, ſcilicet, ſi vendatur animal infirmum pro ſano: qui ſciēter hoc facit, fraudem committit, & in omnibus prædictis venditor ſcienter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Si verò ignoranter hoc fecerit, non peccat vendendo : ſed cùm ad eius notitiam peruenerit, debet recompenſare emptori. Et ſicut ex parte venditoris fraus committitur : ſic ex parte emptoris: ſicut quando venditor credit rem ſuam minus pretioſam : vt ſi vendat aurum purum quod credat eſſe auricalcum : emptor ſi illud cognoſcat iniuſtè emit, & ad reſtitutionem tenetur : dum minus illud emit quàm valeat. Et ſic eſt in omnibus aliis rebus quæ mi-

nus venduntur per ignorantiam vendentis, & cognitionem ementis: ſicut qui vendit verum aurum pro auro ſophiſtico, & emens cognoſcit, ad reſtitutionem tenetur. Similiter ſi venditor vendat aurum pro alcymia factum pro vero auro, fraudem committit: cùm non ſit aurum pretioſum in ſubſtantia, ſicut verum aurum.

Petrus. Nunquid venditor debet dicere vitium rei quam vendit? *Guillelmus.* Si vitium rei quæ venditur occultum ſit, venditor debet illud ementi manifeſtare: alioquin venditio eſt doloſa, & peccat venditor: quia dat ementi occaſionem damni & periculi: & tenetur venditor ad reſtitutionem ſeu recompenſationem damni: ſicut ſi venderet equum claudicantem pro veloci, vel domum ruinoſam pro firma, & cibum corruptum pro ſano & huiuſmodi. Si verò vitium manifeſtum erit: ſicut cùm equus eſt monoculus & huiuſmodi: quia licet non competat venditori, tamen eſſet conueniens aliis, ſi ipſe propter illud vitium ſubtrahat de pretio quantúm oportet, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei: quia fortè ſi manifeſtaret illud,

emptor propter illud vitium plus vellet ſubtrahere de pretio, quàm eſſet ſubtrahendum. Vnde poteſt venditor licitè indemnitati ſuæ conſulere, non manifeſtando vitium rei, ſed reticendo.

Nota tamen quòd in re vitioſa vendenda, cuius vitium venditor ſcit, debet emptori manifeſtare & dicere tenetur: non tamen oportet quòd per præconem venditor illud vitium manifeſtet & prænunciet: quia tunc exterreret omnes emptores ab emendo, qui aliàs rei conditiones non cognoſcerent, in quibus res bona eſt vtilis. Sed ſufficit ſingulariter dicere, qui vult emere: poteſt etiam ſimul omnes conditiones rei comparare, ſcilicet, bonas & malas: quia nihil prohibet rem in aliquo eſſe vitioſam, & in multis aliis conditionibus vtilem.

Et nota quòd res poteſt vendi ſecundum pretium, quod reperitur in locis. Vnde ille qui bladum defert ad locum, vbi chariſtia eſt, & ſint plures blada afferentes, per quos melius forum habebitur: poteſt vendere bladum ſuum ſecundum pretium quod ibi inuenit. Nec tenetur ratione iuſtitiæ manifeſta-

re aduentum aliorum bladum portantium. Si tamen illud manifeſtaret vel de pretio ſubtraheret, hoc eſſet virtutis.

Petrus. Nunquid licet rem plus vendere quàm ſit empta? *Guillelmus.* Rem abſolutè vendere propter cupiditatem lucri ſolùm, eſt inhoneſtum, & illicita eſt talis negotiatio, etiam clericis eſt prohibita. Rem tamen vendere cariùs quàm ſit empta propter aliquem finem honeſtum: vt, ſcilicet, lucrum honeſtum quærat ad domus ſuæ ſuſtentationem, & ad ſubueniendum indigentibus, aut propter publicam vtilitatem, ſcilicet, quærens quæ ſunt neceſſaria patriæ. Et ſi talis negotiatio licita eſt: expedit, vt non quæratur lucrum, quaſi finis: ſed vt ſtipendium laboris: nec propriè talis eſt negotiatio.

Vnde ille qui rem emit ſolummodo, vt cariùs vendat, negotiatur: quia ſolùm lucrum quærit & turpis quæſtus eſt, ſed ille qui rem emit non vendat, ſed vt teneat propter neceſsitatem ſubleuandam: & poſt modum propter cauſam neceſſariam vendat, non negotiatur.

Nec talis negotiatio eſt venditio, licet

cariùs vendat quàm emit.

Poteſt tamen cariùs vendere rem aliquis licitè quàm emit pluribus de cauſis. Quia, ſcilicet, rem meliorauit, vel quia pretium rei eſt mutatum propter loci diuerſitatem aut temporis,vel propter periculum in quo ſe emendo expoſuit venditor, transferendo res ſuas de loco ad locum, vel alias fieri faciendo: aut propter alias neceſsitates occurrentes. Et ſic vendendo res plus quàm ſint emptę,non eſt negotiatio abſolutè, ſed iuſta venditio. Negotiatio autem,vt dictum eſt,clericis eſt interdicta propter lucrum terrenorum, cuius eſſe debent contemptores & ne animum ſuum à diuino ſeruitio nimis retrahant, ad quod ſunt ſpecialiter
2.*Tim.*2. deputati. Ideo Apoſtolus ſecundæ Timoth.2. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vt placeat illi cui ſe probauit. De reſtitutione verò ac de ſacramento pœnitentiæ ad præſens Petre tibi ſufficiant prædicta.

De ſacramento extremæ vnctionis.
Caput 23.

PEtrus. Poſt ſacramentum pœnitentię de ſacramẽto vnctionis extremæ mihi dicas, ſcilicet, quibus & à quibus & quomodo miniſtratur: quæ ſit eius materia, & quæ ſit forma? *Guillelmus.* Extrema vnctio, eſt ſacramentum contra reliquias peccatorum quæ non ſunt ſufficienter per pœnitentiam ſublatæ, aut per negligentiam, aut per ignorantiam. Eſt etiam extrema vnctio vltimum remedium diſponens ad gloriam, & exhibetur per modum curationis. Item, extremæ vnctionis ſacramentum eſt vnum non vnitate indiuiſibilitatis, ſicut punctus, ſed vnitate perfectionis: quia in eo datur gratia ad curationem vulnerum ſpiritualiũ. Datur autem hoc ſacramentum ſolis infirmis qui ſunt in ſtatu tranſeundi de hac vita: quia, vt dictum eſt, hoc ſacramẽtum ad gloriam diſponit & in extremo vitæ corporalis. Et quia ſolùm per modum curationis infirmis datur & non ſanis: Similiter non datur pueris, cùm vſum rationis non habeant, eò quòd actualis deuotio requiritur in ſuſcipiente. Si-

Quibus datur extrema vnctio.

militer non debet dari illis qui nec deuotionem nec cognitionem habent: ſicut furioſis & dementibus, niſi priùs habuerint lucida interualla & illud cum inſtantia petierint: quia infirmis qui inſtanter petunt dum cognoſcunt & intelligunt, ſi oppreſsi fuerint morte in extrema neceſsitate, poteſt dari.

Hoc autem ſacramentum ad ſolos ſacerdotes pertinet miniſtrare, vt ait beatus Iacobus: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros vt orent ſuper eum vnguentes eum oleo in nomine domini. Materia huius ſacramenti eſt oleum oliuarum, cum balſamo ab epiſcopo conſecratum.

Forma autem huius ſacramenti eſt hæc: Per iſtam ſanctam vnctionem, & per ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi dominus omnipotens quicquid peccaſti per viſum, auditum, & ſic de cæteris aliis. Vnde ratio huius ſacramenti eſt ſolùm deprecatiua, vt patet ex dictis beati Iacobi Apoſtoli priùs dictis: ideo illa forma indicatiua, ſcilicet, Ego vngo hos oculos oleo ſanctificato, (In nomine patris & filij, & ſpiritusſancti, amen.) non ſunt forma

Forma.

huius ſacramenti : ſed ſolummodo illa verba priùs dicta , ſcilicet , per iſtam ſanctam vnctionem : In quibuſdam tamen eccleſiis permittuntur.
Quia verò, vt dictum eſt, hoc ſacramentum datur per modum curationis ſpiritualis: ideo illa membra ſolùm inungenda ſunt, vbi radix eſt morbi ſpiritualis. Sicut ſunt quinque ſenſus, ſcilicet, oculi propter viſum : aures, propter auditum: nares, propter odoratum: os, propter guſtum: manus, propter tactum, qui in quinque digitis viget maximè . Et iſta vnctio ab omnibus generaliter obſeruatur, & eſt de neceſsitate. verumtamen propter vim appetitiuam, à quibuſdam inunguntur pedes & quandoque pectus : & quidam inungunt pectus, & non renes, & econuerſo, ſcilicet , renes & non pedes : hoc tamen non eſt de neceſsitate ſacramenti: ſicut illa vnctio quæ fit ad quinque ſenſus: genitalia verò propter honeſtatem & reuerentiam ſacramenti non inunguntur: in illis verò qui habent oculos erutos, vel manus abſciſas, aut naſum abſciſum, vel alia membra quæ debent inungi: partes quæ ſunt illis propinquiores debent inungi: quia licet illa mẽbra non

habeant,& ex illis peccare nõ poſsint exteriùs:habent tamen illa membra in radice animæ, & omnia quæ debentur eis: peccare ex eis interiùs poſſunt circa ea quæ ad illa membra pertinent, quanuis exteriùs explicare non poſſunt.

Petrus. Nunquid hoc ſacramentum pro quacunque infirmitate poteſt ſæpiùs iterari? *Guillelmus.* Poteſt, quia, vt dictum eſt ſuprà ſexto capite,ſolùm ſunt tria ſacramenta quæ non poſſunt iterari,ſcilicet, baptiſmus, confirmatio, & ordo : eo quòd imprimunt characterem. Sacramentum autem extremæ vnctionis characterem non imprimit : & ideo poteſt ſæpiùs iterari. Similiter, vt dictum eſt, hoc ordinatur ad curam ſpiritualem reliquiarum actualis peccati, in quo homo pluries cadit & infirmatur ſpiritualiter. Et ideo eius medicina poteſt pluries iterari. Similiter eſt notandum,quòd hoc ſacramentum non ſolùm reſpicit infirmitatem: ſed infirmitatis ſtatum. Ideóque pro qualibet infirmitate dari poteſt: ſed non in quolibet ſtatu infirmitatis: ſed ſolùm in extrema neceſsitate in articulo mortis, in quo ſpectatur homo mori. Ideo pro

infirmitatibus diuturnis non datur: ſicut & paralyſis, lepra, & huiuſmodi: nec etiã pro quibuſdam infirmitatibus non diuturnis, ſicut febris continua & huiuſmodi: niſi periculum mortis immineat. Nota etiam quòd ſi quis inunctus fuerit, infirmitate durante in eodem ſtatu, non iterum debet inungi: quia eſt eadem infirmitas. Si curatus fuerit à priſtina infirmitate & recidiuat, iterum poſſet inungi: quia non eſt eadem infirmitas quę prius. Similiter ſi periculum mortis euadat & durante adhuc infirmitate, & iterum per eandem infirmitatem ad ſimile periculũ reducatur, poteſt iterum inũgi: quia iam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus. *Petrus.* Nunquid eſt infirmis aliquid de fide ſua requirẽdum cùm petunt extremæ vnctionis ſacramentum? *G.* Debet eis indicare, vt pater noſter dicant, ad diuinã gratiam implorandam: ſimiliter & ſymbolum ad ſuę fidei explanationem, ſi loqui poſſunt: quia tamen laici, vt in pluribus, adeo rudes ſunt quòd etiam ſymbolum non ſciunt: ideò curati ſacerdotes pluries ac ſæpiſsimè debent eos in pœnitentiis ſuis monere, vt ſymbolum adiſcant, & articulos fidei debent eis explicare, vt ſciant

quid credere debeāt: & maximè in extre mo mortis articulo, vt ſuum habeant in illo ſtatu præ oculis cordis creatorem, etiam & redemptorem. *P*. Rogo vt articulos contentos in ſymbolo qui ſunt, & quot ſunt mihi dicas & exponas? *G*. Articuli fidei contenti in ſymbolo xiiij. ſunt, ſcilicet, vij. circa diuinitatem & vij. circa humanitatem Chriſti: & in vtroque ſymbolo, ſcilicet patrum & apoſtolorum con tinentur. Primus articulus eſt de vnitate deitatis, quæ vna eſt in tribus perſonis: ideo dicitur: credo in Deum. Et in ſymbolo patrum, credo in vnum deum. Quantum autem ad tres perſonas, ſunt tres articuli, ſcilicet, ad perſonam patris dicitur, patrem omnipotentem: quantùm ad per ſonam filij, dicitur & in Ieſum Chriſtum filium eius: & quantùm ad perſonam ſpiritusſancti, dicitur: Et in ſpiritum ſanctũ dominum & viuificantem, qui ex patre filióque procedit, & ſic ponunturquatuor articuli quantum ad deitatem. Ponuntur deinde tres articuli qui pertinent ad opera trinitatis, quorum primò ponitur articulus qui pertinet ad opera Trinitatis propria, qui pertinet ad eſſe naturæ, ideo dicitur: Creatorem cœli & terræ. Poni-

Expoſitio ſymboli.

tur ſecundò ſextus articulus, qui pertinet ad eſſe gratiæ, & comprehẽdit omnia quę pertinent ad ſatisfactionem, & ad ſacramenta eccleſiæ: ideo dicitur ſanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſsionem peccatorum. Et in ſymbolo patrum, ideo dicitur: Qui locutus eſt per prophetas, & vnã ſanctã catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Tertiò, ponitur vnus qui pertinet ad eſſe gloriæ, & ſic ponitur ſeptimus articulus qui eſt reſurrectio mortuorum in vitam æternã: & in ſymbolo patrum dicitur: Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitã venturi ſeculi, amen. Et ſic ſunt ſeptem articuli circa deitatem: ſi volueris tamẽ ſolùm articulos fidei numerabis: Ita quòd de tribus perſonis vnus ſolus erit articulus, & ſic laicis groſſo modo expones.

Credere firmiter debemus, ſcilicet vnum deum verũ: & ſic eſt primus articulus: & ꝙ ille verus deus trinus in perſonis, & ſic eſt ſecũdus articulus. Item quòd idẽ deus vnus eſt in eſſentia, & trinus in perſonis eſt creator omniũ, & ſic eſt tertius articulus. Itẽ & credere debemus quòd fides catholica vera & ſacramẽta eccleſiæ quę hominẽ ſanctificãt, vera ſunt, & etiã ea quę in

ſcripturis ſacris continentur: quod eſt vna fides, vnus baptiſmus, & ſic eſt quartus articulus. Item quòd erit reſurrectio mortuorum, & eſt vita ęterna quam expectamus: & ſic eſt quintus articulus. Deinde ſunt ſeptem articuli circa humanitatem Chriſti: quorum primus eſt de incarnatione, ſcilicet, quod filius Dei carnem veram aſſumpſit: ideo dicitur qui conceptus eſt de Spiritu ſancto: & in ſymbolo patrum, qui propter nos homines & propter noſtrā ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto. Secūdus articulus de natiuitate eius ex vtero beatę virginis: ideo dicitur ex Maria virgine, & in ſymbolo patrum dicitur. Et homo factus eſt: & hi duo articuli in vno poſſunt formari, ſcilicet, quòd deſcendit de cœlis vt carnē aſſumeret: & ex virgine naſceretur. Tertius eſt, quòd mortem paſſus eſt pro nobis & ſepultus, ideo dicitur: Paſſus ſub Pontio pilato, & in ſymbolo patrum dicitur: Crucifixus etiam pro nobis, &c. Quartus, quòd deſcendit ad inferos, ſcilicet, anima eius à copore exiſtente ſupra terram, & ideo dicitur: Deſcendit ad inferos. Quintus eſt, quòd tertia die reſurrexit, & ideo dicitur: Tertia die reſurrexit

rexit à mortuis. Sextus, quòd aſcendit in cœlum, & ideo dicitur: Aſcendit ad cœlos, &c. Septimus, eſt de aduentu eius ad iudiciũ, ideo dicitur: Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Et ſic ſunt duodecim articuli qui nobis proponuntur firmiter ad credendum. Et ignorantibus exponendi ſunt, vt ſuperiùs eſt dictum. Sic igitur Petre, de ſacramento extremæ vnctionis ad præſens quæ dicta tibi ſunt, ſufficiant.

De ſacramento Matrimonij.
Caput 24.

PEtrus. De ſacramẽto matrimonij per quod carnalis propagatio conſeruatur, mihi dicas: vt ſic concludas de omnibus ſacramentis. Et primitùs de matrimõio quid ſit, an ſit ſacramẽtũ. *G.* Matrimonium, vt dicit magiſter ſententiarum, eſt viri mulieríſq ue coniũctio maritalis inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. Eſt etiam matrimonium ſacramentum: & in eo confertur gratia ad opera matrimonij ſecundum quod in fide Chriſti contrahitur. *P.* Quomodo poteſt conferri gratia in matrimonio, in quo actus carnalis conſiſtit, in quo viget concupiſcentia &

Tria bona matrimonij.

peccatũ? *Guillelmus.* Vt iam dixi in matrimonio gratia confertur, & vt attendas: Scias tria bona eſſe in matrimonio quæ excuſant actum eius, vt non ſit peccatum, ſcilicet, fides, & proles, & ſacramentum. Fides enim conſeruat, vt in matrimonio reddendo debitum vel exigẽdo: ita quòd accedat quis ad ſuam, & non ad alienam. Proles etiam eſt bonum matrimonij ratione finis, vt inde proles educatur ad cultum diuinum: ſacramentum etiam eſt tertium bonum quantùm ad inſeparabilitatem: quia ſignum eſt coniunctionis Chriſti & eccleſiæ, & iſta bona actum excuſant ne ſit vitioſus, ſed magis virtuoſus.

P. Nunquid carnalis copula eſt de eſſentia matrimonij? *Guillelmus.* Quantùm ad eſſentiam matrimonij ſecundum quòd matrimonium eſt ſacramentũ, carnalis copula non eſt de eſſentia matrimonij: quia aliter non fuiſſet verum matrimoniũ inter Mariam & Ioſeph, quod falſum eſt: quia verum fuit matrimoniũ. Quantũ verò ad eſſe ſecundariũ, ſcilicet, eſſe cõpletũ, qui per opera declaratur, carnalis copula eſt de eſſentia matrimonij. Et ſic vt dictũ eſt, cognoſcere ſuã virtuoſum eſt, & non peccatũ: ſed eſt meritoriũ

quando coniuges ſunt in actu merendi, ſcilicet,in charitate & intentione recta ſi fuerit in actu,ſcilicet, ad reddendũ debitũ,vel prolis generationem. *P.* Quia ſponſalia præcedunt matrimoniũ:ideo primò de ſpõſalibus mihi dicas,& poſtea de matrimonio ex quibus efficiatur. *G.* Tã ſpõſalia quã matrimoniũ efficiuntur per verba de conſenſu amicorũ, ſed differenter: quia ſponſalia fiunt per verba de futuro, vt dicendo:accipiã te in meã:& matrimoniũ fit per verba de præſenti, vt dicendo: accipio te in meũ. Et hoc intelligas ſanè cũ conſenſu amicorũ vtrorũque cõiugũ. Quia licet verba prolata fuerint ꝓdicta,& cõſenſus amicorũ defuerit vtriuſque ꝑſonæ, vel ex parte vnius: ſponſalia ſeu matrimoniũ non valent, ſicut inferius dicetur cap.ſequenti. Quot modis fiunt ſponſalia? *Guillelmus.* Quatuor modis. Primò, nuda promiſsione: vt dicendo accipiã te.

Differẽtia inter ſponſalia & matrimonium.

Secundò,datis arrhis ſponſalitiis, ſicut pecunia vel aliquo alio. Tertiò, annuli ſub arrhatione. Quartò, interueniente inſtrumento, iuramento vel fide. *Petrus.* Nũquid ſponſalia ſub cõditione fieri poſſunt? *G.* Quãdoq; fieri poſſũt & qñq; non: qa aliquãdo eſt hõeſta cõditio, quãdoq; i

honeſta. Si honeſta fuerit conditio, vt dicendo: accipiam te ſi patri tuo placuerit, vel ſi dederit mihi centum ſolidos: & hoc pro tunc ſtante cõditione fiat promiſsio, & non ſtante conditione nõ ſtat promiſſio. Si verò inhoneſta fuerit cõditio: hoc fit dupliciter, quia aut eſt cõtra bona matrimonij, vt dicẽdo: accipiam te in meam ſi venena ſterilitatis procures: vel ſi te ad adulterandum exponas. Sic non ſtat promiſsio nec tenẽt ſpõſalia: aut illa promiſſio vel conditio inhoneſta non eſt contra bona matrimonij & naturam eius: vt ſi dicatur, accipiam te in meam, ſi furtis meis cõſenſeris, vel hominem interfeceris: ſic tenent ſponſalia & illa conditio debet abiici & tolli & pro nulla haberi: & quia ex contradictione ſpõſalium obligatur quis alteri: peccat mortaliter qui non ſoluit ꝓmiſſum, niſi in caſibus exceptis à iure, ꝓpter quod ſponſalia ſemper ſub conditione fieri debent, ſcilicet, ſecundum conſenſum & ordinationem eccleſiæ. *P.* Quot ſunt caſus qui dirimunt & diſſoluunt ſpõſalia? *Guillelmus.* Octo ſunt caſus. Primus, eſt quando alter ingreditur religionem. Secundus, eſt quando alter eorum contrahit cum alia per verba de præſenti.

Sponſalia quõ diſſoluuntur.

Et in his duobus caſibus ſponſalia ſoluan tur ipſo iure. Tertius, eſt quando alter eorum ſe transfert ad regionem longinquam:& diu expectatus ſeu requiſitus nõ reuertitur ſtatuto tempore ad matrimonium contrahendum. Quartus, eſt quando alter contrahentium incurrit infirmitatem grauem, quæ ipſum debilitat: vt epilepſiam vel paralyſim, & huiuſmodi: aut difformitatem: vt abſciſionem naſi vel alterius membri neceſſarij, aut incurrit infirmitatem quæ eſt contra bona prolis, ſicut lepram quæ ſolet inficere prolem.
Quintus, quando alter contrahentiũ fornicatur. Sextus, eſt quando ſupuenit affinitas, ſcilicet, ſponſus prius cognouit con ſanguineã ſpõſæ, & ecõtra, quando ſpõſa cognita eſt à conſanguineo ſponſi: ſimiliter quando reperitur inter eos cognatio ſpiritualis. Septimus, eſt quando ſe in uicem abſoluunt ab obligatione ſponſalium. Octauus, eſt quando contrahentes ſponſalia ſunt minoris ætatis quàm ſit tempus determinatum à iure, & quando perueniunt ad ætatem legitimam diſſentiunt, vel alter eorum. In his tamen ſex caſibus ſecundum iudicium eccleſiæ, ſcilicet epiſcopi vel officialis, ſeu archidiaconi

ſponſalia ſunt ſoluenda. *P.* Quod tempus requiritur ad ſponſalia contrahenda? *G.* Tẽpus ſeptẽnij tã in viro quã in muliere requiritur. Nec ante tẽpus illud tenent illorũ ſponſalia, ſi per ſe aut per parentes facta fuerint: nec aliqua affinitas ex illis creatur, niſi ad illud tẽpus peruenĩẽtes ea ratificauerint: quia tũc valerẽt. Vnde poſtq̃ vir vel mulier primum ſeptennium attigerit: poteſt tñ ſe per verba de futuro obligare, nõ matrimoniũ contrahere. Quia mulier in duodecimo anno matrimonio poteſt copulari, & ad matrimonium poteſt ſe obligare: quia eo tempore eſt apta generationi: vir autem in xiiij. anno. Tamen quandoq; præuenitur tẽpus ſecundũ corporis eorum potentiam & aptitudinẽ, & vſus rationis accelerationem. *P.* Nunquid copula carnalis ſubſecuta poſt ſpõſalia de futuro, matrĩoniũ facit? *G.* Si copula fuerit affectu maritali, ita quòd cuilibet copuletur cum ſuo, talis copula carnalis ſequẽs ſpõſalia facit matrimonium verũ: quia per illã copulã exprimitur conſenſus de præſenti, qui verũ matrimoniũ facit. Si verò copulẽtur carnaliter ſolũ affectu fornicario, illa copula carnalis poſt ſpõſalia nõ facit matrĩoniũ, ſicut cũ aliq̃s

dat fidem mulieri eam ducendi in vxorẽ, ſolùm ea intentione vt eam carnaliter cognoſcat. Si ex tali copula conſenſus defuerit, nullum eſt matrimonium. In foro tamen exteriori vbi eccleſia iudicat de allegatis & apparentibus, matrimonium eſſe iudicatur. Et ſi cum altera contraxerit, cogetur cum prima redire, quam ſic cognouerat. In foro tamen conſcientiæ conſulendum eſt tali: quòd cùm ſecunda remaneat, quæ eſt vxor propria & non prima: & quòd potius ſuſtineat omnem excommunicationem, quàm ad primam redeat, & ſecundam dimittat. Et ſic breuiter ſcias quòd carnalis copula poſt ſponſalia de futuro, ſi conſenſus defuerit nullum facit matrimonium: ſi verò affuerit conſenſus, verum facit matrimonium. Et hæc ad præſens de ſponſalibus ſufficiant.

De Matrimonio & eius requiſitis. *Caput* 25.

P*Etrus*. Poſt ſponſalia de Matrimonio mihi dicas: Et primò quot ad matrimoniũ requiruntur? *Guillel* Duo ad matrimonium requiruntur, ſcilicet, conſenſus: verba exprimentia conſenſum animorum eorũ, qui matrimonaliter copulãtur,

P. Quæ ſunt autem illa verba? *G.* Iam prius tibi dixi quòd illa ſunt de præſenti, vt dicendo: Accipio te in meam: vel accipio
Conſenſus. te in meum. *P.* Sufficít ne conſenſus vnius tantùm ad matrimonium perficiendum? *G.* Non, quia matrimonium claudicare non poteſt: ideo non ſufficit conſenſus vnius tantùm, ſed mutuus conſenſus eorum. Vnde remoto conſenſu vnius nubentium, non eſt matrimonium, licet alter conſentiat: quæcunque verba de præſenti ab vtroque proferantur. Et ſic ille qui non conſenſerit aliam ducat in vxorem. *P.* Nunquid primam poteſt dimittere, & cum ſecunda manere? *G.* In foro cõſcientiæ non poteſt cum prima manere, cùm non ſit eius vxor, ſed potius cum ſecunda cum qua conſenſum habuerit: veruntamen in foro exteriori in quo eccleſia de apparentibus & exterioribus iudicat, cogetur cum prima redire, & ſecundam relinquere. Nec eccleſia in hoc iudicando decipitur in facto. Ille tamen potiùs in hoc deberet omnem excommunicationem ſuſtinere: vel ad partes extraneas fugere & ſecum ſecundam ducere, cum qua conſenſum habuerit. *P.* Quia
dix.xii. dixiſti quòd verba de præſenti exprimen

tia conſenſum interiorem ſunt de eſſentia matrimonij: videtur ergo quòd multi contrahere non valeant, nec illi qui ſeinuicem non intelligunt: *G.* In talibus qui ſe inuicem intelligere non poſſunt propter idiomatum diuerſitatem: vel qui loqui non poſſunt, ſigna pro verbis reputantur: & in eis ſigna exprimentia conſenſum, ſufficiunt. *P.* Nunquid per verba aliorum quàm nubentium ſeu per procuratores poteſt effici matrimonium? *G.* Si puella præ verecundia taceat & parentes loquantur, & ipſa verbis eorum non contradicat nec contradicere videatur, videtur eis conſentire: & computantur verba parentum pro verbis puellæ, & ſic matrimonium efficitur. Similiter ſi aliqui poteſtatem ſui conſenſus in procuratore po ſuerunt, & conſenſus inter procuratores firmetur, & nuncios non contradicentibus illis pro quibus mittuntur, antequam dictorum procuratorum aut nunciorum conſenſus firmetur, verum eſt matrimonium. Si tamen probabiliter ſentiretur quòd ambo vel alter eorum non conſentiret priuſquam procuratores ſuum præberent conſenſum, nullum eſſet matrimonium. *P.* Nunquid furioſi & amentes

poſſunt contrahere matrimonium? *Guillelmus.* Circa tales furioſos ſcias quòd aut furia præcedit matrimonium, aut ſequitur. Si ſequatur matrimonium nullo modo dirimit matrimonium contractum. Si verò præcedat furia matrimonium, aut furioſus habet lucida interualla: & tunc licet non ſit tutum quòd contrahat matrimonium, eo quòd neſcit educare prolem: ſi tamen contrahat, verum eſt matrimonium. Si verò non habeat lucida interualla: ſed ſemper in furia permaneat, cùm vſum rationis non habeat: per conſequens nec conſenſum, non eſt matrimonium. *P.* Nunquid conſenſus conditionatus facit matrimonium? *Guillelmus.* Sicut dictum eſt ſuprà de ſponſalibus, quandoque facit, & quandoque non. Quia conditio illa de quandoque per verba de præterito fit, aut de præſenti, aut de futuro. Si de præſenti: vt contraho tecum, ſi es virgo, tunc ſtante conditione eſt matrimonium: & non ſtante non tenet. Si verò de præterito: vt dicendo, contraho tecùm ſi maritus tuus ſit mortuus: tunc ſtante conditione tenet matrimonium: aut etiam conditio de præſenti: vt contraho tecum ſi ſis virgo: tunc etiam ſtante con-

ditione,tenet matrimonium. Si verò con ditio ſit de futuro:ſi conditio illa ſit contra bona matrimonij, non tenet matrimonium: vt dicendo, accipio te ſi venena ſterilitatis matrimonij procures: vel quia nunquam debitum tibi reddam, & huiuſmodi. Si verò conditio de futuro ſit pro alio fine inhoneſto, qui non eſt contra bonum matrimonij, vt dicendo: Contraho tecum, ſi furtis meis conſenſeris: talis conſenſus non impedit matrimonium cùm talis conditio pro non adiecta habeatur. Si verò conditio fuerit de futuro & neceſſaria: vt ſi dicatur, contraho tecũ, ſi ſol oriatur cras: tenet matrimonium: quia talia futura ſunt pręſentia in ſuis cauſis. Si verò conditio ſit impoſsibilis, tunc pro adiecta habetur, & tenet matrimonium. Si autem fuerit contingens vt dicendo: contraho tecum ſi dederis mihi centum libras, vel patri tuo placuerit: tũc ſtante conditione ſtat promiſsio, & non ſtante non ſtat: vt dictum eſt ſuprà de ſponſalibus.

De actu coniugali.
Cap. 26.

PEtrus. Cùm carnalis copula licet non ſit de eſſentia matrimonij abſolutè: ſed ſolus conſenſus, ſcilicet, per verba de præſenti expreſſus: veruntamen ſequitur ad ipſum implicitè, ſicut ad cauſam effectus, & vſus rei ad vſum. Ideo cùm talis carnalis copula, quę dicitur actus coniugalis, conſiſtat in petitione & redditione debiti, de ipſo mihi dicas: ſcilicet, vtrum alter coniugum teneatur alteri reddere debitum: & ſi teneatur, vtrum ſemper teneatur reddere? G. De ratione præcepti alter coniugum tenetur alteri reddere debitum: vt dicit Apoſtolus primæ ad Corin. 7. Vir vxori reddat debitum: ſimiliter & vxor viro: mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir: & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier. Et ideo in obligatione reddendi debitum vir & mulier ſunt æquales: & tenentur alter alteri reddere debitum. Quia tamen quæris vtrum ſemper teneatur alter alteri reddere debitum: Circa hoc ſcias, quòd licet, reddere debitum, ſit de ratione præcepti: tamen incolumitas perſonæ prius debet ſaluari & cōſeruari. Quia ſi vir videat imminere periculum, ex eius
redb. redditione, reddere non tenetur. Vnde, ſi

vir reddatur impotens ad reddendum debitum ex cauſa quæ ex matrimonio conſequitur : ſicut ex frequentiori concubitu, mulier non habet vlteriùs ius petendi debitum:& in petendo vlteriùs, mulier ſe magis meretricem quàm coniugem exhiberet. Si autem reddatur impotens ex alia cauſa, & illa cauſa licita eſt & rationabilis:ſic, vt propter infirmitatem caſualem vel propter nimium laborem in victu eius acquirendo, & ſuæ prolis: ſic non tenetur reddere debitum:nec poteſt mulier exigere. Si verò impotens fiat ex cauſa illicita: vt haſtilicidia ſectando, & huiuſmodi,peccat vir. Et peccatum mulieris ſi propter hoc in peccatum labatur, aliquando ipſi viro imputatur. Vnde debet quãtum poteſt, operam ponere vt vxor contineat, & cauere ne propter cauſam illicitam ad reddendum debitum impotens efficiatur. *P.* Nunquid vir tenetur reddere debitum etiam vxori non petenti,cùm propter verecundiam petere non auſa ſit? *G.* Imo debet vir etiam vxori nõ petenti debitum reddere, eo quòd propter redditionem huius, præſtatur remedium contra concupiſcẽtiam vxoris. Verumtamen petitio vxoris, licet non aper-

ta fuerit ne verbo fiat propter verecundi am, tamen ſignis & nutibus plerumque iudicatur. Et hæc petitio dicitur interpretatiua. Vnde quando vir percipit ſignis & nutibus quòd vult vxor & quærit ſibi reddi debitum, debet reddere: nec debet expectare quòd verbis vel precibus petat, vt eius incontinentiæ obuiet. *P.* Nunquid viro leproſo petenti debitum reddere tenetur vxor? *G.* Sic tenetur vxor debitum reddere, ſed non cum eo habitare: quia non tam cito ex concubitu carnali vxor inficitur reddendo debitum viro leproſo, ſicut poſſet infici ex frequenti habitatione cum eo. Et licet ex tali concubitu quandoque proles infirma generetur: meliùs eſt tamen proli ſic eſſe quàm penitus non eſſe. Et ſic viro leproſo tenetur mulier eius reddere debitum, ſi petat.

Lepra.

P. Nunquid licet à muliere menſtruoſa petere debitum, aut ei reddere? *G.* Circa menſtruum mulieris diſtingue: quia aut illud menſtruum contigit ei naturaliter, aut non naturaliter. Si contingat ei naturaliter, quando ſana eſt, & temporibus determinatis, in tali fluxu menſtrui prohibitum eſt, ne vir accedat ad mulierem menſtruatam: cùm in tali fluxu mulier

Menſtruũ.

m.

poſſet de facili concipere prolem, quę de facili corrumperetur: ideo tali tempore prohibitum eſt ab ea debitum petere aut ei reddere. Sed notandum eſt circa hunc fluxum menſtrui naturalem, quòd ſi vir hoc ſciuerit, & petierit ab vxore debitum: vxor debet admonere precibus & monitis, vt deſiſtat à petitione. Notandum tamen quòd debet admonere ne efficiat quòd poſsit viro eſſe occaſio incidendi in alias corruptiones culpabilem. Et pręcipuè ſi pronus ad illas fuerit: quia tunc poſſet reddere debitum. Secundò, ſi vir ignoret fluxum menſtrui naturalis ſuæ vxoris, & debitum petat: mulier debet aliquam occaſionem ſine mendacio prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat: niſi periculum vt prius de incontinentia viri vxor probabiliter præſumat. Si verò fluxus menſtrui naturalis fuerit, ſcilicet, immoderatè & quaſi continuè proueniens, propter infirmitatem, poteſt vir debitum reddere: quia mulier in tali ſtatu concipere non poteſt: & oporteret virum perpetuò abſtinere.

Infirmitatem tamen huiuſmodi viro ſuo nullo modo vxor debet indicare, ne

de ipſa vir abominationem concipiat: ni ſi de prudẽtia viri vxor probabiliter præ ſumat. Sic igitur patet quòd in fluxu naturali, vir non debet petere nec reddere debitum vxori hunc patienti: ſed poteſt reddere in fluxu innaturali. *P*. Nunquid viro licet debitum petere à muliere prægnante? *G*. Si debitũ poſſet reddi ſine periculo aborſus, poteſt vir ab vxore ſua p̃gnante debitum petere, & reddere: quia vſus matrimonij licitus non ſolùm eſt in officium, ſed etiam in remedium, contra incontinentiæ caſum. Si verò non poteſt reddi debitum ſine periculo aborſus, vel timeatur probabiliter de periculo fœtus, non debet debitum exigi, nec reddi: quia principalis eſt inſtitutio matrimonij in officium, ſcilicet, propter prolis educationem & conſeruationem, quàm in remediũ: & ſic intelligitur illud Hieronymi: Poſtquam venter intumuerit non perdant filios. *P*. Nunquid licet temporibus ſacris reddere & exigere debitum? *G*. Si vir vel vxor qui petit vel reddit debitum ductùs aliqua infirmitate, non in cõtemptum eccleſiæ vel temporis irreuerentiã, vt dicit Auguſtinus; mortaliter non peccat. Cuius ratio eſt: quia eccleſia non poteſt

Prægnans.

Tempus ſacrum.

teſt iuri naturali & diuino præiudicium facere: nec intendit filiis ſuis laqueum damnationis ponere. Et cùm huiuſmodi redditio ſit de iure naturali, etiam de diuino iure: quia vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier: nec mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: vt dicit Apoſtolus. Ideo quocunque tempore, quacunque hora tenentur coniuges ſibi inuicem reddere debitum: nec eccleſia prohibet petitionem, ſed diſſuadet: vt mens coniugum à carnalibus abſtracta faciliùs ad cœleſtia referatur, & ad ſpiritualia intendat. Ideo in diebus ieiuniorũ, proceſsionum, & huiuſmodi tẽporibus, inſtitutum fuit conuenienter, vt cõiuges illis diebus ab actu carnali deſiſterent ſiue abſtinerent. Veruntamen ſi alter coniugum cauſa delectationis ſolùm explendæ, non cauſa procreationis liberorum: vel cauſa redditionis debiti peteret debitum, grauiter peccaret tali tempore actum carnalem exercendo. Notandum etiam quòd licet vir & vxor quocunque tempore & quacunque hora debitũ reddere teneantur, non tamen in loco quocunque: quia ſtatim in publico non oportet quòd debitum reddant, cùm in talibus

aƐtibus honeſtas exigatur. *P.* Sicut ex prę dictis ſentio, matrimonium ex conſenſu per verba de præſenti expreſſè perficitur: completur autē per carnalem copulā ſub ſecutam. Nunquid ergo omnes ætatis legitimæ poſſunt inuicem matrimonium contrahere, cùm habeant conſenſum perfectū? G. Non omnis vir cuilibet mulieri poteſt matrimonium cōtrahere: eo quòd matrimonium non ſolū ex cauſis diuinis, ſed etiam ex cauſis humanis conſtituitur: poſſunt multipliciter impediri. de hoc multa ſunt quæ matrimoniū impediunt non ſolùm contrahendū, ſed etiam matrimonium contractum dirimunt. Propter hoc prohibitum eſt vt non fiant matrimonia clandeſtina & ſine cōſenſu eccleſiæ & ſolennitate, vt perſonæ cōtrahentes legitimè cōprobentur. *P.* Dic mihi quomō fit matrimoniū clandeſtinū: deinde quę ſunt impedimenta matrimoniū impedientia. G. Matrimoniū clandeſtinum tripliciter habet fieri. Vno modo, quando non adhibentur teſt es, qui adhibentur ad celebrationem matrimonij: ne alter contrahentium matrimonium deneget illud matrimonium iam contractum, & ne pœnitendo de matrimonio ſic contracto aliud

matrimonium vellet contrahere, & ſub ſpecie matrimonij fornicetur. Secundo modo, matrimonium clandeſtinum habet fieri quando ſolennitas adhibetur, quam ſolet eccleſia in nuptiis adhibere: ſicut benedictio, & huiuſmodi. Tertio, quando non proponuntur banni: vnde conſtituit eccleſia quòd tres banni donentur in eccleſia ſolenniter in diebus feſtiuis inter miſſarum ſolennia, ad cognitionem impedimenti inter perſonas contrahentes ſi quod fuerit, ad probandum eas eſſe illegitimas ad matrimonium contrahendum. Notãdum etiam quòd licet matrimonia clandeſtina ſint ab eccleſia prohibita: verumtamen ſi facta fuerint, vera ſunt matrimonia: nec ſic cõtrahentes poſſunt ſeparari: cùm ibi verus ſit conſenſus per verba de præſenti exùreſſus: licet illa quæ dicta ſunt deficiant, quæ non ſunt de eſſentia ſacramenti: ſe a ſolus conſenſus prædictus.

De impedimentis matrimonij. Cap. 27.

PEtrus. Vt iam dictum eſt, poteſt multipliciter matrimoniũ impediri. De huiuſmodi impedimẽtis q̃ ſunt, & quot ſunt

mihi dicas. *G.* Quædam ſunt quæ impediunt matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt iam contractũ: & alia ſunt quæ impediunt contrahendum, & contractũ: & duo ſunt. ſ. prohibitio eccleſię, & tẽpora feriarũ quæ notãtur in his verſibus:

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriarum,
Impediunt fieri: permittunt iuncta teneri.

Quæ impediunt contrahendum tantùm.

Hi ergo duo caſus ſolũmodo impediunt contrahendum, pro tanto quòd ſunt contra prohibitionem eccleſiæ. Quorum primum eſt: quãdo timetur de aliquo impedimẽto inter aliquos, prohibetur ne contrahant, donec conſtiterit de impedimento: ſi contraxerint debent ſeparari, donec habeatur certitudo de illo impedimento: & poſtea impedimento non inuento debet eis iniungi pœnitentia, eo quòd contra prohibitionem eccleſiæ cõtraxerunt. Et ad cõiugium poſtmodum per eccleſię ſententiam reuertantur. Circa verò tempus feriarum eſt notãdum, quòd quędam ſunt tẽpora in quibus prohibetur ne nuptię celebrẽtur. ſ. ab aduentu domini vſq; ad oct. epipha. Similiter à ſeptuag. vſque ad octa. paſchæ. Et à die lunæ ante aſcenſ. domini, vſque ad octa pentec. ſ. trinitatem: & hæc habentur in hoc verſu:

Aſpiciens, vetere͂, circum, quaſi, quis, benedictã.
Per hanc dictionem aſpiciens, intelligitur prima dominica aduen. in qua cãtatur in matutinis: Aſpiciens. Per, vetere͂, intelligitur octaua epiph. Per circum, intelligitur ſeptuage. Per quaſi, octaua paſchæ. Per quis, dies lunæ ante aſcenſione͂ domini. Per benedicta, dies trinitatis. De his aute͂ quidam dicunt quòd aliqui dies ponuntur excluſiuè, & aliqui incluſiuè, ſci. quòd in quibuſdam eorum non celebrantur nuptiæ: & in quibuſdam celebrãtur. Quia in prima dominica aduen. non celebrantur nuptiæ, ponitur incluſiuè. In octa. epipha. quando cãtatur ad laudes matutinarum, Veterem homine͂: dicunt quidam quòd celebrantur nuptię: & ponitur excluſiuè. In domini. ſeptuageſimæ, in qua Circũdederunt cantatur: ſecũdum omnes non celebrãtur nuptię: & ponitur hæc dies incluſiuè. Sed in dominica qua cantatur, Quaſi modo. ſ. in octauis paſchę celebrantur nuptiæ, vt dicunt: & ponitur excluſiuè. Similiter die lunæ ante aſcenſionem domini, in qua cãtatur in euãgelio: Quis veſtrûm habebit amicum, ponitur incluſiuè: & nõ celebrantur in ea nuptiæ. Sed dies trinitatis ponitur excluſiuè, & in eo celebran-

Qui dies nuptiales & qui non

tur nuptiæ. Et ſic ſecundum illos tres ponuntur excluſiuè in quibus celebrantur: & alij tres ponuntur incluſiuè in quibus non celebrantur. Verumtamen alij dicunt quòd de illis tribus ſola dies trinitatis ponitur excluſiuè: & in eo ſolummodo nuptiæ celebrantur, & non in aliis duobus diebus, ſcilicet, in octauis paſchę, & in octa. epiph. eo quòd iſti duo dies ad ſolennitates præcedentes pertinere dicuntur: ſed dies trinitatis ad ſolẽnitatem penteco. non pertinet, cùm octauis careat. Similiter quia miſſa pro nuptiis communiter de trinitate cãtatur: ideo illa die ſola dicunt nuptias celebrari, & hæc videtur dicere illa decretalis extrà de feriis: Capellanus. Et ideo dicunt quòd ille verſus ſupradictus eſt magiſtralis. Verumtamen quia ſecũdum diuerſas eccleſias conſuetudines ſunt diuerſæ: & in quibuſdam eccleſiis in octa. epiphan. & paſchæ nuptiæ celebrantur: in aliis autem eccleſiis non celebrantur: ideo ſtandum eſt ad conſuetudinem loci & eccleſiæ: nec hoc eſt peccatum, quia quælibet prouincia abundat in ſuo ſenſu: vt dicitur in Decretis in lxxv. diſtinct. Vtinam. Sic ergo patet quòd iſta duo, ſcilicet, prohibitio ce-

cleſiæ & tempus feriarum impediunt ma trimonium contrahẽdum: verumtamen non dirimunt iam contractum, vt ſuprà dictum eſt.

Petrus. Nunc quæ ſunt illa quæ impediunt contrahẽdum, & dirimunt iam contractum mihi dicas, & quot ſunt? *Guillelmus.* Duodecim ſunt impedimenta quę in his verſibus continentur. *Quę dirimunt contractum.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis:
Hæc ſocianda vetant, & connubia facta retractant.

Pet. De omnibus his mihi dicas ſingulariter ſecundũ quod in his verſibus cõtinentur. Et primò, de illo errore: qui ſit ille error qui impedit matrimoniũ iam contractũ, & dirimit, & quare. *G.* Iſte error qui impedit matrimoniũ & dirimit iam contractum, eſt duplex. ſ. error perſonę: & error ſeruilis cõditionis. Et ratio eſt, quia illud quod impedit cãm & dirimit, impedit & dirimit effectum illius cauſę. Cõſenſus mutuus, eſt cauſa matrimonij, vt dictum eſt ſuprà. Mutuus autem cõſenſus præſupponit cognitionem. Et quia error perſonæ cum qua contrahitur, tollit & impe- *Error.*

dit cognitionem illius perſonæ: ideo tollit & impedit conſenſum cum ea, & per conſequens matrimonium: ſicut cùm aliquis vult & intendit contrahere cum Ioanna, & Maria ſibi offertur: nullum eſt ibi matrimonium, quia nullus fuit cum Maria conſenſus. Et ſic de iure naturali error perſonæ impedit & dirimit matrimonium. Ad cuius euidẽtiam notandum eſt, quòd matrimonium duo includit, ſci. perſonas contrahentes: & quantùm ad hoc, dictum eſt, quòd error perſonæ impedit matrimonium. Eſt & mutua poteſtas inuicem: quia vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier: nec habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: quam poteſtatem tollit ſeruitus: quia ſeruus non habet poteſtatem ſui corporis, ſed dominus: ideo non poteſt ſeruus alteri nubere ſine licẽtia domini ſui: & per conſequens talis error ſeruilis conditionis impedit, & dirimit matrimonium: & hoc eſt intelligendum quando liber ignorat conditionem ſeruilem eſſe in eo cum quo contraxit: quia ſi ſciret eam eſſe in eo cum quo contraxit antequam cõtraheret, iam non eſſet error nec matrimonium impediret nec dirimeret. De errore perſonæ

Seruitus.

nota quòd error nobilitatis, aut dignitatis quantùm in ſe eſt non tollit nec impedit matrimonium: vt ſi aliqua mulier conſentiat in hunc virum directè quem ignorat nobilem: non impedit matrimonium talis error: dum tamen talis error non redũdet in perſonam abſolutè: quia ſi talis error nobilitatis redundaret in errorem perſonæ abſolutè: & matrimoniũ tolleret, & illud impediret: ſicut cùm aliquis credit contrahere cum filia regis directè quæcunque ſit illa, & ſibi offeratur alia: impedit matrimoniũ niſi poſtea conſentiat in eam, quam credebat eſſe filiam regis, cùm error ille ad notitiam eius peruenerit. Iterum ſcias quòd ille error qui eſt talium impedimentorum quæ faciunt ſimpliciter perſonas illegitimas ad contrahendum matrimonium, impedit, & dirimit matrimonium: ſiue ſit factum cum errore illius impedimenti, ſiue cum conſanguineo, ſiue cum promoto in ordinibus ſacris, vel profeſſo in religione: ſiue hoc ſciat mulier ſiue ignoret, ſi ſic contrahat non eſt verum matrimonium. Et hæc de impedimento erroris tibi ad præſens ſufficiant.

De impedimento conditionis. *Caput* 28.

PEtrus. Quia iam de impedimẽto conditionis tetigiſti, & ſequitur in verſibus poſt errorẽ: Ideo de impedimento conditionis quare matrimonium impedit & dirimit mihi dicas. *Guillelmus.* Superiùs dictum eſt, quòd in tractatu matrimonij obligatur vnus coniugum ad reddendum debitum carnalis copulæ alteri: & ideo ſequitur quòd ſi illud impediat alterum coniugum, dirimit illud. Hoc autem facit conditio ſeruitutis: quia ſeruus liberè reddere debitum non poteſt, cùm ſit in poteſtate domini ſui, vt dictũ eſt: & ideo ſeruitus dirimit matrimoniũ: & hoc ſemper intelligitur quando illa ſeruitutis conditio ignoratur ab alio qui cum ſeruo contrahit: quia ſi antequam contraheret cum ſeruo, cognoſceret hanc ſeruitutis conditionem, poſtea reclamare non poſſet ille qui eſt liberæ conditionis: nec talis ſeruitus matrimonium dirimeret: & hoc dictum eſt ſuprà de errore. Igitur patet in ſumma quòd ſeruitus impedit & dirimit matrimonium, quando ignoratur à coniuge libero: &

poſtea quando ad notitiam peruenit, in ſeruum, non conſentit: quia ſi poſtea con ſentiret dum ad ſerui cognitionem peruenit, non dirimeret matrimonium.

Petrus. Nunquid poteſt ſeruus contrahere matrimonium abſque conſenſu domini ſui? *Guillelmus.* Imò poteſt, quia cùm ſeruitus ſit de iure poſitiuo præiudicare non poteſt iuri naturali vel diuino. Matrimonium autem eſt de iure naturali & diuino: ideo ſeruitus eis non præiudicat, quin ſeruus non poſsit contrahere matrimonium, ſicut non impedit alios actus carnales, vt bibere & comedere: ita non impedit quin poſsit libe ros procreare: verumtamen ſi ſeruus contrahat domino ignorante, vel contradicente: tunc debet potiùs obedire & eius ſeruitium adimplere, quàm vxori debitum reddat: niſi fortè de periculo vxoris & incontinentia timeatur: quia tunc deberet periculo vxoris ſuccurrere & ei debitum reddere, priuſquam domino obedire. Similiter ſi ſeruus domino ſciente & non reclamante, vel concedente, aut contradicente matrimonium contrahat: tenetur ſeruus magis reddere debitum vxori quàm domino præcipiēti obedire.

*P.*Nunquid poteſt ſe vir ſeruum facere inuita vxore? *Guillelmus.* Sic: quia licet vir & vxor in actu matrimonij ad paria iudicentur, ſcilicet, in actu carnalis copulæ: in omnibus tamen aliis vir eſt dominus & caput mulieris, & ſui iuris eſt: & ideo noléte vxore poteſt vir ſe dare in ſeruitutem alterius: nec propter hoc matrimonium diſſoluitur, quo ad vinculũ nec quo ad thorum: quia licet domino præcipiente eadem hora qua mulier petit debitum: mulieri priùs reddere debitũ quàm domino obedire. Et licet vir poſsit ſe facere ſeruum vxore inuita, vxor tamen inuito viro ſe ancillam facere non poteſt: quia mulier eſt ſubiecta viro, & vir eſt caput mulieris, vt dictum eſt. *Petr.* Si ſeruus liberos generet, cuius conditionis erunt, aut patris aut matris? *Guillelmus.* Secundum ius naturæ & leges partus ſequitur ventrem quantùm ad ſeruitutem & libertatem: & ideo licet ſeruus generet ex libera matre, filius non erit ſeruus ſed liber. In quibuſdam terris tamen quæ non reguntur iure ciuili: ſed ſolùm ex conſuetudinibus, ſequitur puer deteriorem conditionem: ita quòd ſi pater fuerit ſeruus, ſic puer erit & ſeruus: & ſi mater

fuerit ancilla & puer eſt liber, puer erit ſeruus: ſi vterque parentum, ſcilicet, tam pater quã mater ſeruilis conditionis ſunt, & pertineant ad diuerſos dominos: tunc diuident domini pueros inter ſe ſi plures ſint: & ſi non fuerit niſi vnus tantùm, alter dominorum recompenſabit alteri domino de pretio, & accipiet prolem natam in ſeruum ſuum. Hæc autem conſuetudo non eſt cõſona rationi nec iuri: quia communiter partus debet ſequi conditionem matris, vt dictum eſt. Et hæc de impedimento conditionis ad præſens ſufficiant.

De impedimentis, tertio. ſ. voto & quarto. ſ. conſanguineitate. Cap. 29.

PEtrus. De tertio impedimento, ſcilicet, voti mihi dicas quid ſit votũ primò, & quæ eſt differentia votorum: & ex quo fiat votum, & qui poſſunt vouere: & ad quæ diſpenſatio pertinet: & poſtea quomodo votum impedit & dirimit matrimonium. *Guillelmus.* Votum eſt quædam promiſsio deo facta de aliquo actu virtutis. Duplex eſt autem votum, ſcilicet, votum tacitum & votum expreſſum: votum autem tacitum fit ex ſola con

ceptione cordis & difinitur ſic, votũ eſt cõceptio melioris propoſiti animi deliberatione firmata. Votum autem expreſſè fit verbis aut ſignis, & diffinitur ſic: Votũ eſt teſtificatio quędam promiſsionis ſpontanæ ideo quę dei ſunt offerri decet: verumtamen votum tam tacitum quàm expreſſum ſecundũ ius canonicũ ſic diffinitur: Votũ eſt alicuius boni cum animi deliberatione deo facta promiſsio: & bene dicitur cum deliberatione: quia tria requiruntur ad votum: quorum primum eſt deliberatio voluntatis: quia qui vouet debet deliberare in mente vtrũ illud quod vult vouere ſit ei expediens, & poſsit perſeuerare in huiuſmodi. Secundò, requiritur quod propoſitum volũtatis ſit firmũ: & tertiò requiritur promiſsio in qua ratio voti perficitur. Superadduntur his tribus alia duo ad confirmationem voti, ſcilicet, pronunciatio oris, teſtimonium aliorum: & ſic duplex dicitur eſſe votum, ſcilicet, ſimplex & ſolenne. Eſt autem votũ ſimplex quod fit mente deo, vel nuda promiſsione ſine ſolennitate ſpeciali. Votum verò ſolenne fit quando homo actualiter ſe dedicat deo, ſcilicet, per ſacri ordinis ſuſceptionem: per profeſsionem debitæ

Tria ad votum requiſita.

ſuſ-

regulæ tacitè vel expreſſè factam debito modo in manu abbatis vel abbatiſſæ, vel alterius ſuperioris cui debet fieri profeſſio, vel per ſuſceptionem ſacri ordinis vel habitus, qui tãtũ datur profeſsis. *P*. Ex quibus habet fieri votum, nũquid de malo ſicut de bono? G. Simpliciter votum eſt alicuius boni, ideo de eo quod malũ eſt ſimpliciter non poteſt fieri votum: vt ſi quis voueat ſe fornicari, vel hominem occidere: imò in omnibus talibus malum decretum voluntatis eſt mutandum & agenda eſt pœnitentia de turpi voto. ſimiliter nec votum habet fieri de impoſsibilibus, vt ſi voueat quis ſe nõ moriturũ. Similiter nec de ĩdecẽti. i. q̃tũ nõ eſt materia virtutis, vt leuare feſtucã & huiuſmodi. Similiter nõ habet fieri votũ de bono communi quod eſt omnibus neceſſariũ & ad quos omnes tenẽtur, ſicut baptiſmale: quia licet ſit votũ commune nõ tamẽ ſpeciale de quo hîc loquimur. Sed ſolùm votũ habet fieri de bonis ſupererogationis: vt eſt ieiunium, eleemoſyna, peregrinatio, abſtinentia, & huiuſmodi. *P*. Nunquid homo ſemper tenetur adimplere quod vouit? *Guil.* Sic, niſi occurrat impedimentum ei ꝙ non poſsit adimplere quod vouit, dum illud vouit vnde ſcias quòd homo licet cum delibera

tione voueat: potuit & adimplere illud quod vouit, dum vouit illud: ſi poſtea fiat impotens pro aliqua cauſa ad ſoluendum votum, non tenetur aliud facere, ſed tantum facere quod in ſe eſt, vt ſaltem promptã in ſe voluntatem faciẽdi quod poteſt: vnde ſi vouit religionem aut monaſteriũ intrare ſpirituale: & nolũt illi qui ſunt de monaſterio illum recipere, debet operam dare quantùm poteſt, vt ibi recipiatur. Et ſi non poteſt ibi intrare, quia nolunt eum omnino recipere, non tenetur aliam intrare: quia ad illã ſolùm ſe obligauit, conſenſu recipientiũ ſuppoſito, qui ſemper talibus ſubintelligitur. Si verò intentio ſua fuit ſe obligare ad religionis ingreſſum, & ex conſequenti elegit hoc monaſterium, & non poteſt in illo recipi, debet aliũ locũ requirere donec perfecerit quod promiſit. Notandum eſt etiam quòd ille qui votũ fecit ſi incidat ex propria culpa in impoſsibilitatẽ ſoluendi votum: debet de culpa cõfiteri & agere pœnitentiam, ſicut cùm mulier vouit virginitatẽ, ſi poſtea corrumpatur, non ſolùm tenetur ſeruare quod poteſt, ſcilicet, perpetuam cõtinentiam, ſed de peccato quod cõmiſit debet pœnitentiã facere ſecundũ arbitrium

abſol-

abſoluentis. P. Qui ſunt illi qui vouere poſſunt? G. Scias ꝙ illi qui ſunt in poteſtate alterius non poſſunt vouere, nec per votum ſe obligare in his quibꝰ alteri ſubiiciuntur: ſed in quibus non ſubiiciuntur poſſunt vouere, & per votum ſe obligare. Vnde homo vel mulier ad annos pubertatis perueniens ſuæ conditionis eſt, nec eſt ſub poteſtate parentum quantùm ad ea quæ pertinent ad perſonam ſuā: ideo poteſt & religionem intrare & matrimonium contrahere abſque parentum conſenſu. Sed quantū ad conſeruationem domeſticā, cùm non ſit in poteſtate ſua: ſed magis parētum, non poteſt vouere quod ſine conſenſu parentū ſit ratum & firmū. Similiter ſeruus qui in poteſtate domini ſui quantū ad perſonales operationes nō poteſt religionem vouere vel aliud votum facere: per quod ab obſequio domini ſui ſubtrahatur: ſimiliter nec religioſus poteſt vouere abſque conſenſu ſuperioris, nec vxor abſque conſenſu viri ſui, nec puella abſque conſenſu patris. Et ſi tales qui vouere nō poſſūt, voueāt, nō peccant, votū ſi adimplere nō poſſunt: Quia in voto illorū intelligitur debita cōditio, ſcilicet ſi ſuperioribꝰ ſuis placeat: vir etiā ſine

cõſenſu ſuæ vxoris cõtinẽtiã vouere non põt, nec vxor ſine conſenſu viri, cũ vir poteſtatẽ ſui corporis non habeat, ſed mulier: nec etiã mulier ſui corꝑis habet poteſtatem, ſed vir. Et ſi aliter eorum illud voluerit, non eſt tenendũ votũ: ſed debet agere pœnitẽtiam de malè facto voto. No tandum tñ quod licet vir non poſsit conti nentiã vouere inuita vxore, poteſt tñ ipſa inuita crucẽ vouere & accipere: & hoc in fauorẽ negotij ꝓ quo crux ſumitur: ſicut poſſet militare pro dño ſuo terreno & à quo feudũ tenet abſque conſenſu vxoris. Nec propter hoc ſubtrahitur oĩno vxori ius ſuum, cùm poſsit virũ ſequi. Etiam ꝓ babile eſt ſatis quòd vxor continere debeat ad tempus ſubueniendo neceſsitati eccleſiæ generali. Nec propter hoc, ſi vir poteſt accipere ſine conſenſu vxoris ſuæ crucem, eſt ſimile quòd vxor non poſsit illam vouere ſine conſenſu viri, cùm vir ſit caput mulieris. Similiter qa vxor cũ maiori periculo caſtitatis diſcurreret per terras quàm vir. Et cum maiori vtilitate eccleſiæ eſt vir quàm mulier: & ideo vxor illud votum peregrinationis terræ ſanctæ vouere non poteſt ſine conſenſu viri, licet vir illud vouere poſsit ſine conſen-

ſu vxoris. *P.* Ad quos pertinet votorũ diſpenſatio? *G.* Diſpenſatio votorũ precipuè & principaliter pertinet ad ſummũ pontificem qui plenariè vicem gerit Chriſti: aliis autem prælatis inferioribus committitur diſpenſatio in votis, quæ cõmuniter fiunt & quæ indigent frequenti diſpenſatione: ſicut in peregrinatiõibus, ieiuniis, & huiuſmodi. Vota tamen maiora ſicut continentiæ & peregrinationis terræ ſanctæ ſummo pontifici reſeruantur.

P. Quia de his quæ quæſiui à principio de voto dixiſti: nunc ad propoſitum redeamus, ſcilicet, quomodo votum impedit & dirimat matrimonium mihi dicas, & ſi ſimplex votum illud impediat & dirimat. *Guillelmus.* votum ſimplex impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit iam cõtractum: cùm in eo ſit ſola promiſsio nuda, vt dictum eſt. Vnde cũ vouens non adĩplet quod promiſit inde peccat contrahendo: ſed poſtquam dedit ſui corpòris poteſtatem per matrimonium contractum, iam illud matrimonium tenet & eum dirimit. Vnde ſcias qui poſt votum cõtinentiæ ſimplex contrahit matrimoniũ per verba de præſenti nõ põt vxorẽ ſuam cognoſcere, nec

cõſummare per carnalẽ copulã matrimo niũ, abſque peccato mortali: quia adhuc ſibi reſtat facultas continentiæ ad votum adimplendũ per religionis ingreſſum, antequam matrimoniũ conſummetur. Sed poſtquã conſummatũ eſt matrimonium per carnalẽ copulã: tenetur poſtea reddere debitũ vxori petenti, ſiue petat expreſſè per verba, ſiue interpretatiuè per ſigna: vnde licet teneatur reddere debitũ, nõ poteſt tamen abſque peccato petere debitũ: quia nõ in eius poteſtate eſt petere debitum poſt votũ ſimplex continendi: & nõ ex vinculo matrimonij obligatur ad petendũ: licet obligetur ad reddendum: vnde licet omnes homines ex vno proceſſerint, id eſt, ab Adã, non tamẽ omnes homines conſanguinei dicũtur. *P.* Qui ſunt gradus conſanguineitatis? *G.* Diſtinguitur cõſanguineitas per gradus & lineas: vnde, conſanguineitas ad modum arboris deſcribitur: quia ſicut in vno trũco arboris ad multos ramos arbor diffunditur quo partes arboris inuicem colliguntur: ita in hominibus. Quia principium generis ſtipes vel truncus dicitur: ducentes verò ab eo originem quaſi rami appellãtur: & habitudo iſtorum ramorum inter ſe cõ

Conſanguineitas.

80

ſanguineitas dicitur. Et ſic in hac communione triplex habitùdo reperitur. Vna quæ eſt patris ad filium. Alia filij ad patrem. Tertia filiorum inter ſe, qui fratres dicuntur. Et ſecundum has tres habitudines, lineæ conſanguineitatis computantur: quia ſecundum habitudinem quæ eſt patris ad filium eſt linea deſcendentium: ſecundum verò habitudinem quæ eſt filiorum ad patrem, eſt linea aſcendentium. Sed ſecundum etiam habitudinem quæ eſt filiorum inter ſe, vel eorum qui ab vno principio deſcendunt, eſt linea trāſuerſalium. Et quia motus propagationis non quieſcit in vno termino, ſed vltrà progreditur: in eadem linea plures perſonæ ſunt: quarum vna diſtat ab altera, & hæc diſtantia gradus vocatur: & ſic conſanguineitas per gradus computatur ſecundum appropinquitatem & diſtantiam à primo principio ſiue ſtipite: etiam in eadem linea cōſanguineitatis plures gradus reperiuntur. Vnde in linea aſcendentium primum gradum faciunt pater & mater. Secundum, auus & auia. Tertium, proauus ꝓauia. Quartum, abauus abauia, &c. In linea verò deſcēdentium, primum gradũ faciũt filius & filia. Secũdũ, nepos

&ſic deſcēdendo vſque ad quartū gradū. In linea verò collaterali ſeu tranſuerſali ſicut modo dictū eſt: duo fratres faciunt primū gradū, vel duæ ſorores: ſecūdū gradū faciunt filiij dictorū duorū fratrū, qui dicuntur fraternales. Tertiū gradū feciūt dictorū fratrū nepotes. Et quartū, pronepotes: & ſic cōſanguineitas per gradus cō putatur ſecundū appropinquitatem & di ſtantiā à cōmuni ſtipite. Et ſic in eadem li nea diuerſi gradus reperiuntur: ſed alteri cōparata ſecundū ꝓpinquitatē ad ſtipitē: vnde, idētitas & diſtantia nimia ab eo gra dum conſanguineitatis tollūt. Cōputatur aūt gradus conſanguineitatis dupliciter. Vno mō, ſecundū iura ciuilia. Alio mō, ſecundum canonica. Secundum iura ciuilia duo fratres attinent in ſecundo gradu: & filij duorum fratrum in quarto: nam legalis cōputatio attēdit deſcenſum à com muni radice ab vtraque parte. Sed ſecūdū iura canonica duo fratres attinēt ſe in pri mo gradu. Et filij eorum in ſecundo gradu: quia ſecundum diſtantiam à communi principio ſecundum iura canonica cōputātur: vnde, quātò gradus aliquis diſtat ab aliquo ſuꝑiori radice, tātò diſtat ab aliquo deſcēdentiū ab ipſo ſuꝑiori. Et quia

duo fratres immediatè deſcendunt à patre ſuo, nec diſtant ab eo niſi per vnũ gradum: ideo duo fratres attinent ſibi inuicẽ in primo gradu : filij verò eorum diſtant à patre in ſecundo gradu. Et ideo attinent ſibi inuicem in ſecundo gradu : ſic aſcendendo & deſcendendo in generatione & propagatione conſanguineitatis. Et notandum quòd quanuis aliqui ſunt in eodem gradu conſanguineitatis : vnus tamen eſt magis conſanguineus quàm alter: ſicut pater alicuius, & frater eius ſunt in primo gradu cõſãguineitatis: quia ex neutra parte cadit perſona media: & tamen pater eſt magis cõſanguineus filio ſuo, quã ipſe filius fratri ſuo proprio: quia duo fratres nõ attinent ſibi: niſi tantũ quia deſcendũt ab eodẽ patre, & ideo quantũ aliquis eſt cõi prĩcipio ꝓpinquior à quo cõſanguineitas deſcẽdit: tãtò magis eſt cõſanguineus, quã uis nõ ſit ĩ ꝓpinquiori gradu. Et ſecũdum hoc patru⁹ eſt magis cõſangnine⁹ alicui q̃ nepos eius: quanuis ſint in eodẽ gradu. *P.* Nũc videam⁹ quare cõſanguineitas impedit matrimoniũ contrahendum & dirimit iam contractum. *G.* Vt naturalis amicitia & affinitas inter conſanguineos remaneat, ſcire debes quòd cõſanguineitas de iu-

re naturali inter aliquas perſonas impedit matrimonium, ſcilicet, inter patrem & matrem, filium & filiam : quia patrem accipere filiam in vxorem & filium matrem ſuam naturalis ratio non permittit: quia cùm vir & vxor ad paria iudicentur, quantùm ad actum matrimonij: abſurdũ eſſet nec conſonum rationi quòd filia debeat adęquari patri. Similiter, quia vir eſt caput mulieris, ratio nõ permittit filium dominari matri. Similiter etiam de iure diuino quædam perſonæ excipiuntur, ſcilicet, illæ quæ ſunt in ſecundo gradu, ſcilicet, fratrer ſororis, & ſoror patris vel matris: filia filij, & huiuſmodi. Et propter conſeruationem pudicitiæ quæ debet inter eos eſſe, quæ debet in eadem conſeruari domo. Similiter iure poſitiuo quædam etiam perſonæ à matrimonio excipiũtur, ſcilicet, conſanguinei. Et hoc propter confœderationem & multiplicationem amicitiæ: dum, ſcilicet, homo ſe habet ad conſanguineos vxoris, ſicut ad ſuos. Vnde huic multiplicationi & confœderationi amicitiæ præiudicium generaret, ſi quis cõſanguineam vxoris ſuæ duceret in vxorem. Et ſic ſecundum humanas leges & eccleſiæ ſtatuta plures gradus conſangui-

neitatis à matrimonio ſunt excluſi. *Petrus* Qui ſunt illi gradus qui à matrimonio excluduntur? *G.* Secundum tempora diuerſa diuerſi gradus conſanguineitatis ſunt excluſi à matrimonio. In principio enim legis naturæ, ſolũ patres & matres à matrimonio repellebantur, & non aliæ perſonæ: quia frater accipiebat ſororem ſuam in vxorem, ſed nullo modo matrem: & hic accipiebat ſororem propter paucitatem hominum, vt genus humanũ multiplicaretur. Poſtea verò multiplicato genere humano: quia tunc concupiſcẽtia vigebat ad reprimẽdum eam in lege Moyſi plures perſonæ excipiuntur, ſcilicet, frater, ſoror, vxor patris vel ſoror, & huiuſmodi de quib⁹ habetur Leuitici, 18. Alios gradus autem lex illa non prohibuit: ſed magis præcepit, ſcilicet, vt quilibet de cognatione ſua vxorem acciperet, ne confuſio ſucceſsionum eſſet: quia illius populi tribus & poſſeſsiones erant diſtinctæ. Et cultus diuinus tunc temporis per ſucceſsionem generis propagabatur. In lege autem noua quæ eſt lex gratię & amoris, plures gradus conſanguineitatis ſunt diſtincti: ſed diuerſimodè ſecundum diuerſa tempora, quia antiquitus matrimo-

niũ ad ſeptimũ gradum conſanguineitatis ſeruabatur: nec infrà poterat aliquis cum ſua conſanguinea matrimonialiter copulari. Et hoc fuit rationabiliter ordinatum: quia vltra gradum illum memoria radicis nõ habebatur. Similiter vſque ad gradum illum prohibitio erat: quia ſeptiformi gratiæ ſpiritusſancti congruebat vt naturalis amicitia ſeruaretur, ſed poſt modum circa hæc tempora vltima, eſt reſtrictum eccleſiæ interdictum vſque ad quartum gradum. Nec vltra quartum gradum tenet prohibitio eccleſiæ propter hoc: quia vltra quartum gradum propter obliuionem & negligentiam conſanguineitas non ſeruabatur. Et quia vſque ad quartam generationem homines ſolebant viuere: ideo non potuit ſic memoria conſanguineitatis deleri: & ſic in quinto gradu poſſunt omnes nubere, nec infra quintum poſſunt contrahere matrimonium: & ſi contrahant, ſeparandi ſunt. Ad cognitionem autem graduum in quibus poteſt contrahi matrimonium: & in quibus non, quinque regulæ aſsignantur. Prima, eſt perſona addita perſonæ, per carnis propagationem addit gradum: ſicut filius, pater, & huiuſmodi: & hoc habet lo-

Regulæ conſanguineitatis.

cum in linea aſcendenti & deſcendenti. Secunda regula eſt: quòd perſonæ ſunt de quibus quæritur, computatis intermediis, vnanimes tot ſunt: vnde ſi quinque ſint perſonæ, quatuor ſunt gradus: & hoc habet locum in linea aſcendenti & deſcendenti. Tertia regula eſt, quanto gradu perſonæ de quibus quæritur diſtant à communi ſtipite, tanto gradu diſtant inter ſe: vnde nepos ex vno filio, & pronepos ex altero diſtant inter ſe in ſecundo gradu ex vna parte: & ſex ex altera in tertio gradu. & hoc habet locum in linea tranſuerſali, ſeu collaterali. Quarta regula eſt, quanto gradu perſona remotior diſtat à ſtipite, tanto gradu diſtant inter ſe. Vnde nepos ex vno filio, & pronepos ex alio diſtant in tertio gradu quanuis vnus illorum ſit in ſecundo: & hoc ſimiliter habet locum in linea tranſuerſali, ſeu collaterali.

Quinta regula eſt, quanto gradu diſtat aliqua perſona à ſtipite, tanto gradu diſtat à quolibet deſcendentium ab eo: & hæc regula ſolùm habet locum vſque ad æqualitatis lineam: vnde pronepos alicuius, ſicut in tertio gradu diſtat à ſtipite ipſo: ita ab omnibus de-

ſcendentibus ab eo vſque ad tertium gradum.
Sed ab his qui deſcendunt ad tertium gradum diſtat, ſecundum quòd tranſcendens eſt remotior à communi ſtipite: quia gradus ſemper computari debet ſecundum diſtantiam perſonæ magis remotæ, cùm ratio proximitatis ortum habeat à ſtipite: quia nulla perſona eſt propinquior collaterali, quàm ſtipiti. vnde perſona quę diſtat à ſtipite in quinto gradu: diſtat etiam in quinto gradu à quolibet in collaterali: ſiue diſtet à ſtipite per vnum gradũ, ſiue per duos aut per tres, & poſsit cum eo matrimonium contrahere. Et ſic ſcias, quòd in linea aſcendẽtium in illo gradu, licet matrimonium contrahere: quia reputantur vna caro: vnde ſi Adam viueret nulla ſibi nubere poſſet, nec ipſe vlli. In linea verò tranſuerſali ſeu collaterali, vt dictum eſt, non licet nubere vſque ad quartum gradum excluſiuè. Sed vltra quartũ gradum perſona quæ diſtat à ſtipite, poteſt nubere cum quolibet collaterali, vt dictum eſt. Et ſic patet quid ſit conſangnineitas, & quot ſunt gradus conſanguineitatis, & quot matrimonium dirimunt & impediunt, & cauſa quare. Et hæc de

cōſanguineitate tibi ad præſens ſufficiāt.

De matrimonio & affinitate. *Cap.* 30

PEtrus. Quia affinitas ex conſanguineitate ſequi videtur: ideo de ipſa immediatè mihi dicas: Quomodo ex conſanguineitate contrahitur. *Guillelmus.* Sicut ſuprà dictū eſt, naturalis amicitia fundatur ſuper naturali communicatione, quæ communicatio naturalis dupliciter fit. Vno modo per carnis propagationem & hæc dicitur cōſanguineitas, vt dictum eſt. Alio modo per coniunctionem ordinatam ad propagationem, & dicitur affinitas: vnde affinitas fit mediante conſanguineitate, ſcilicet, carnali commixtione, & eam imitatur: & in hoc differt affinitas à conſanguineitate. Quia conſanguinei attinent in eodem genere attinentiæ: & ſunt participes eiuſdem radicis & ſanguinis, licet ſint in diuerſo gradu conſanguineitatis: vt filius & pronepos ſunt in eodem genere attinentiæ, & conſanguinei, licet ſint in gradu differenti ſecundum maiorem diſtantiam à radice, vt dictum eſt: ſed affinitate perſonæ affines

non ſunt participes eiuſdem radicis à natura:ſed ab extrinſeco veniunt per carnalem copulã, licet ſint in eodem gradu: & ſic conſanguineitas non mutat genus attinentiæ, licet mutet gradum: ſed affinitas mutat genus attinentiæ, licet non mutet gradum. verſus:

Mutat nupta genus, ſed generata gradum.

Et ſic omnes conſanguinei viri ſunt affines mulieri, quam carnaliter cognouit: & econuerſo omnes conſanguinei mulieris ſunt affines viro, à quo cognita eſt: nec deſinit affinitas eſſe inter affines, quanuis perſona per quam contrahitur affinitas moritur. Quia carnalis copula viri vel mulieris per quam contrahitur affinitas, non cauſat huiuſmodi affinitatem ſecundum quod eſt actu naturaliter coniungi: ſed ſecundum quod eſt cognitum eſſe: ſicut non dicit pater vel filius ſecundum quod eſt actu generari, ſed ſecũdum quod eſt genitum eſſe: & ſic mortua vxore cognita, remanet adhuc affinitas inter conſanguineos vxoris & viri, & econuerſo: & ſic patet quòd affinitas cauſatur ex carnali concubitu, vnde affinitas ſic diffinitur: Affinitas eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proue-

Affinitas perpetua.

niens,omni carens parentela. Et benè dicit ex carnali copula proueniens abſolutè: quia affinitas ita bene cauſatur ex concubitu fornicario, ſicut ex natura & legitimo. Similiter bene dicit omni carẽs parentela: quia ſi quis cognoſcit conſanguineam ſuam, non propter hoc dicitur affinis ſibiipſi: quia affinitas requirit diuerſitatem, ſicut conſanguineitas eſt ſicut ſimilitudo: quia nihil dicitur ſibiipſi ſimile. Similiter non eſt inconueniens inter aliquas perſonas eſſe conſanguineitatem & affinitatem: ſicut conſanguineus meus ex parte patris duxit conſanguineam meam ex parte matris in vxorem. & quia affinitas cauſatur ex carnali copula, quæ fit ex commixtione ſeminum: ideo concubitus qui eſt contra naturam, & extraordinaria pollutio non cauſat affinitatem: cùm non habeant commixtionem ſeminum ad generationem ordinatam. Similiter cùm vir & mulier efficiantur vna caro per ſeminum commixtionem: ideo quicunque clauſtrum pudoris inuaſerit, vel fregerit: niſi ſequatur ſeminum commixtio, non propter hoc cauſatur affinitas.

Affinitas nõ cauſatur niſi ſeminũ commixtione.

Notandum eſt etiam quòd affinitas

ſimiliter cauſatur ratione ſocietatis, vinculi coniugalis : ideo in ipſo contractu matrimonium per verba de præſenti ante carnalem copulam , affinitas contrahitur. Ex ſponſalibus autem puris non contrahitur propriè affinitas: ſed quoddam affinitati ſimile , quod dicitur publicæ honeſtatis iuſtitia : de quo inferiùs dicetur. Sciendum eſt etiam quòd ex affinitate non generatur affinitas , ſicut antiquitus erat. Similiter ſciendum eſt ꝙ in affinitate ſunt gradus ſicut in conſanguineitate: & tot ſunt gradus affinitatis, quot ſunt gradus cōſanguineitatis, & impediunt matrimonium. Ad cuius euidentiam notandum eſt quòd affinitas præcedit matrimonium, aut ſequitur. Si præcedat matrimonium, impedit contrahendum & dirimit contractum poſt illam affinitatem contractam, verbi gratia. Aliquis vult contrahere cum Maria: & prius cognouerat carnaliter eius conſanguineam in primo gradu, aut ſecundo, aut tertio, vel in quarto: iā factus eſt affinis Mariæ: nec poteſt eam habere in vxorem: & ſi eam poſtea acceperit ſeparandus eſt ab ea. Si verò affinitas ſuperueniat matrimonio iam contracto, non dirimit matrimonium

Affinitas dirimit matrimonium.

trimonium contractum': ſed tum perſona ex cuius concubitu affinitas contrahitur, priuatur à petitione debiti, & non à redditione. Sicut vir poſtquam contraxit matrimonium cum vxore, cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, perdit ius petendi debitum carnalis copulæ: ſed tenetur reddere debitum vxori petenti manifeſtè vel interpretatiuè, ſcilicet, per aliqua ſigna. patet igitur quid ſit affinitas, & ꝙ matrimonium impedit & dirimit. *Petrus.* Quomodo procedendum eſt ad dirimendum matrimonium inter affines ſeu conſanguineos? *G.* Scire debes ꝙ matrimonium cõtractum inter affines ſeu conſanguineos, per diuortium ab eccleſia dirimitur: & ideo eſt quia omne vinculum ſocietatis quod cum peccato eſt: ſtare non poteſt & ab eccleſia eſt ſeparandum, cùm eccleſia omnibus modis peccato obuiare conatur. Tale autẽ eſt matrimonium in gradu prohibito contractum, ſcilicet, cõſanguineitatis vel affinitatis: ideo ab eccleſia eſt dirimendum & diſſoluendũ. Nec poteſt huiuſmodi matrimoniũ per diuturnitatẽ tẽporis pſcribi, nec ratificari. Quia illa quæ ſine peccato fieri nõ poſſunt, nulla præſcriptiõe firmãtur: quia diuturnitas

temporis peccatum non minuit, ſed auget, vt dicit Innocentius. Ad dirimendum autem huiuſmodi matrimonium poteſt procedi per viã accuſationis, ſed talis accuſatio debet fieri per parentes: quia ſi ex extranei accuſarent, parentibus tacentibus & propinquis, tanquam ſuſpicioſi haberentur, quòd ex malitia hoc facerẽt ſeu maliuolẽtia: & ideo per parẽtes aut propinquos eſt talis probatio faciẽda. Quia etiã propinqui melius ſciũt cognationem ſeu affinitatẽquàm extranei. Nec oportet ꝙ ille qui talẽ accuſationem facit obliget ſe ad pœnã talionis. Quia pœna talionis habet locum quando perſona accuſatur de crimine. Quia tunc accuſatur vel agitur per purgationem eius qui accuſatur. Sed hîc ſolùm accuſatur factum quod eſt illicitũ ad impediendũ illud. Et ideo perſona accuſans tale matrimoniũ ad nullam pœnam ſe obligat. Si verò ille qui ſcit impedimentum non accuſauerit illud: cùm illud ſciuerit vel audierit, ſi velit vlterius accuſare, non eſt audiendus, nec admittendus ad accuſandum. Et hoc totum habetur extrà de his qui poſſunt matrimoniũ accuſare. cum tua. Similiter in hac cauſa procedendum eſt per teſtes: ſicut in aliis

cauſis tamen,vt dicũt iuriſtæ: Multa ſpecialia inueniuntur in hac cauſa,quæ in aliis cauſis non obſeruantur. ſ. quòd idem poteſt eſſe accuſator & teſtis:& quod non iuratur de calũnia, cùm ſit cauſa ſpiritualis & quod cõſanguinei admittũtur ad teſtificandũ. Et quòd non ſeruatur ordo iudiciarius omnino:quia poſt talem denunciationem factã poteſt contumax excommunicari,lite non cõteſtata . Et valet hîc teſtimoniũ de auditu.Et poſt publicationem teſtium teſtes poſſunt induci.Et hoc totũ fit:vt peccatũ tollatur, quod ex tali cõiunctione poteſt eſſe.Aduertẽdum autem eſt quòd cũ eccleſia non intendit aliquẽ priuare ſuo iure:ſi decepta fuerit per falſos teſtes, & ad ſeparationẽ matrimonij proceſſerit:altera perſona ſuo iure ſpoliata,debet ei fieri reſtitutio:etiamſi alter coniugũ votũ emiſerit: ita tamẽ quòd ille qui tale votũ emiſerit nõ debet petere debitũ,ſed ſolũ reddere. Item notandum quòd quãdo alter cõiugum agit ad redintegrationem matrimonij:aut agit petitoriè,aut poceſſoriè:ſi petitoriè,vel vir petit vxorem ſibi reſtitui in iudicio , dicendo quòd eſt eius vxor : illa negante, primò debet exceptio mulieris audiri : quia

probata, perimit primam quæſtionem: & eadem eſt etiam ratio de vxore ſi petit virum, & vir neget: & exceptio viri primò debet audiri, qua etiam probata perimit primam quæſtionē, & abſolutus eſt ab illa quæſtione: aut alter agit poſſeſſorio. ſ. quando ſupponitur quòd vxor eius ſit: vel ipſe ſit vir ſuus, & quòd cohabitauerit cū ea, vel ea cum eo tāquam cōiunx: & petit ſibi reſtitui, vel illa eū: & ille, vel illa qui petitur confitetur matrimoniū: ſed exceptionē proponit contra reſtitutionē: ante quā probetur exceptio debet fieri reſtitutio, ſpoliato petenti eā: vel vxor petenti eum. Excipiūtur tamen quinq; caſus. Primus eſt, ſi obiiciatur fornicatio publica contra petentem. Secundus, ſi obiiciatur incōſanguineitas, lege diuina prohibita incontinenti probanda: tamen ſi differatur probatio, oportet fieri reſtitutionem in pœnitētia: & ille qui habet conſcientiam de cōſanguineitate, non debet alteri reddere debitū. Tertius caſus eſt, ſi obiiciatur exceptio rei iudicatæ, à qua non fuit appellatum: quando. ſ. lata eſt ſententia diuortij, & non fuit appellatum de ea: tunc primò debet cognoſci de prima ſentētia, antequam fiat reſtitutio. Quartus caſus

Caſus.

eſt, quando tāta eſt ſæuitia illius qui petit ſibi reſtitutionem fieri, quòd non poteſt ſecurè & abſque periculò ille qui petitur cum eo manere: ſicut vir cùm proſequitur vxorem odio capitali: vel mulier proſequitur virum mortem eius procurādo. Quintus caſus eſt, quādo ille qui agit ſpoliauit aliū iniuſtè, & ſine iuris ordine: & hoc fit, quādo obiicitur alterius ſpōſi vel alterius ſponſæ exceptio: tunc enim oportet quòd ſpoliatus reſtituatur: & quòd debeat fieri reſtitutio. Notandum eſt etiam quòd cùm accuſationes plures ex maleuolentia fiant: ſi duo fratres duas ſorores ducerent in vxores: & per accuſationem vnus fratrum ſeparetur à cōiugio alterius ſororis, propter conſanguineitatem: alij duo propter hoc non ſunt ſeparandi: quia in foro contētioſo res inter alios acta nō præiudicat. & ſi vnus frater repellatur à matrimonio, propter hoc non eſt alius repellendus: quia per falſos teſtes potuit ſeparari. Nec propter hoc oportet quòd ille qui remanet in matrimonio ſuo conſcientiam ſuam informet, ex his quæ facta ſunt fratri ſuo. Verumtamē circa hoc eſt diſtinguēdum: quia ille qui manet in matrimonio habet certam conſcientiam

de impedimento circa illud matrimoniũ probato:& tũc non debet debitum redde re,aut petere : aut ſolùm habet opinionẽ, & ſic poteſt reddere & petere:ſic igitur pa ter de diuortio faciendo, & ſeparatione matrimonij propter affinitatem & conſanguineitatem. De diuortio autem faciendo propter alias cauſas inferiùs dicetur,capitulo de crimine.

De publicæ honeſtatis iuſtitia.

Caput 31.

P*Etrus*.Quia publicæ honeſtatis iuſtitia quandam honeſtatem & ſimilitudinem habet ad affinitatem:ideo cõſequenter de ea mihi dicas:quid ſit,& vnde cauſetur, & quomodo impedit matrimonium.*Guill.* Publicæ honeſtatis iuſtitia & propinquitas ex ſponſalibus prouenienş, robur trahit ab eccleſiæ inſtitutione,propter eius honeſtatem:differt autem publicæ honeſtatis iuſtitia ab affinitate:quia vt dictum eſt, affinitas per carnalem copulam contrahitur, per conſenſum per verba de futuro, expreſſum: vel per verba de præſenti ante carnalem copulam ſubſecuta. Vnde poſt primum ſeptennium publicæ cauſatur honeſtatis iuſtitia: cùm etiam ſponſalia, vt dictum

eſt ſuprà : non teneant niſi fortè peracto ſeptennio puer illa ſponſalia quæ ante ſeptennium contraxerat, rata habuerit: & approbauerit. Impedit autem publicæ honeſtatis iuſtitia matrimonium: quemadmodum conſanguineitas & affinitas, & ſecundum eoſdem gradus: vnde ſi quis deſponſauerit puellam vij. annorum vel vltrà, per verba de futuro, ſeu de præſenti tempore nubili : quanuis eam carnaliter non cognouerit: tamen nullus de conſanguineitate eius eam carnaliter poterit habere in vxorem, vſque ad quartum gradum: nec ipſe aliquam ipſius puellæ conſanguineam, vſque ad quartum gradum: & ſi contraxerit, ſeparandus eſt. & hoc habetur in Decr. xxvij. can. q. ij. Si quis vxorem deſponſauit, &c. & hoc idem dicit Iulius papa ibidem, ſi quis vxorem deſponſauit, vel ſubarrauit : & ſiue præueniente die mortis, ſiue irruentibus quibuſcũque aliis cauſis minimè eam cognouerit: neq; ſuperſtes eius frater, neque vllus de conſanguineitate eius eãdem ſibi in vxorem tollat vllo tẽpore. Scias tamẽ quòd quanuis quidã ſenſerint, quòd ſi per impedimẽtũ legitimũ ſpõſalia ad nihilũ redigãtur: nec inde oriri aſſerunt publicæ honeſta-

tis iuſtitiam, cùm ſponſalia propter impedimentum dicerentur eſſe nulla: quòd poſtmodum poterat alter illorum cõſanguinei alterius matrimonialiter copulari. Bonifacius tamen 8. lib. 6. de ſponſalibus contrarium determinat, cui totaliter eſt adhærendum: quòd ſi conſenſus fuerit in ſponſalibus illis, licet nulla fuerint ſponſalia: ſunt tamen ſponſalia propter conſenſum, & cauſant publicę honeſtatis iuſtitiam. & impediuntur ſequentia ſponſalia, & non præcedentia verba, cuius hęc ſunt ex ſponſalibus puris & certis (etiam ſi conſanguineitatis, aut affinitatis, aut religionis aut alia quauis ratione ſint nulla) dũmodo non ſint nulla ex cõſenſus defectu, oritur efficax ad impediẽdum & dirimendum ſequentia ſponſalia vel matrimonia, non autem ad pręcedentia diſſoluendum impedimẽtum iuſtitiæ publicæ honeſtatis: quare ille priùs publicè cõtraxerit, & poſtmodum cum ſecunda prioris cõſanguinea idem fecerit ex rigore priorum ſponſaliorum: quibus per publicæ honeſtatis iuſtitiam, & ſecundis ſponſalibus ſubſecutam minimè derogatur: & ſic ad matrimoniũ contrahendum cum prima remanet obligatus. Item ſtatim ſub-

dit,quód per ſponſalia ſub cõditione non impeditur ſequens matrimonium ante conditionem cõpletam: propter publicæ honeſtatis iuſtitiam,dicens: ille verò qui ſponſalia cum aliqua muliere contrahit: ſi poſtmodum ante cõditionis euentum cum aliqua prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debet: vt cùm ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem exiſtẽtem: ſicuti ex conſenſu non habentibus & in certis nulla publicæ honeſtatis iuſtitia oriatur. Sic ergo patet quæ ſit publicę honeſtatis iuſtitia: & quòd tollit matrimonium,& impedit: & hoc quantùm ad carnalem copulam.

De cognatione ſpirituali.

Cap. 32.

PEtrus. Nunc de cognatione ſpirituali mihi dicas: quomodo,& ex quibus cõtrahitur:& quomodo impedit matrimonium. *Guillelmus*. Spiritualis cognatio eſt propinquitas quædam perſonarum proueniens ex ſacramẽti datione vel ad illius intentionem: ſicut baptizans & ſuſcipiens de baptiſmo, vterque eſt pater ſpiritualis baptizati. Contrahitur autem cognatio ſpiritualis ex duobus ſa-

cramentis ſolùm.ſ.ſacramento baptiſmi, & ſacramento confirmationis: & non ex aliis ſacramentis, ſcilicet, ſacramento ordinis vel pœnitentiæ: quia filius ſacerdotis poteſt contrahere cum illa, quam ſacerdos pater eius audiuit de confeſsione: & ex baptiſmo & confirmatione generatur ſolùm ſpiritualis cognatio, quæ ſolùm ex baptiſmo & confirmatione habet fieri. Ex cathechiſmo autem non impeditur matrimonium, cùm non ſit ſacramentum, ſed magis ſacramentale: & ideo matrimonium non dirimit, ſed debilitat & vix impedit contrahendum. *Petr.* Quo modo & qualiter impedit cognatio ſpiritualis matrimoniũ? *Guillel.* Scias quòd cognatio ſpiritualis, aut præcedit matrimonium, aut ſequitur: ſi prçcedit, ſic impedit matrimoniũ contrahendũ, & dirimit iam contractum matrimonium: ſi autem ſequatur iam contractum matrimonium, tunc vinculum matrimonij non dirimit, ſed actũ matrimonij, ſcilicet, petitionem & redditionem debiti quandoque impedit: quia ſi cognatio ſpiritualis contrahatur cauſa neceſsitatis, ſicut pater vel mater in neceſsitate baptizat proprium filium in articulo mortis: & non ſit alius

qui poſsit baptizare eum niſi pater aut mater, tunc non impedit matrimonij actum: nec ex parte patris, nec ex parte matris. Si verò illa cognatio ſpiritualis contrahitur extra caſum neceſsitatis, ſi hoc ex ignorantia fiat & non ex fraude: ſicut cùm baptizat filium ſuum, quem non credit eſſe filium: ſed magis alienum, & diligentiam adhibuit: tunc ex neutra parte talis etiam cognatio ſpiritualis ſequens actum matrimonij non impedit. Si verò fiat ex malitia & fraude: ſicut cũ quis baptizat filium ſuum ſcienter, vt elongetur à ſua coniuge: vel ex alia malitia, tunc ille qui baptizat, vel cuius actu contrahitur illa cognatio ſpiritualis: quia ſcilicet filium ſuum accepit, iſte amittit petendi debitum: ſed tenetur alteri petenti reddere debitum qui non eſt in culpa: quia ex culpa & malitia illius non debet alter incommodum reportare, nec innocens priuari ſuo iure: ſi verò ambo coniuges fuerunt in culpa, debent ſeparari quo ad thorum, non quo ad vinculum. Et ſic patet quòd cognatio ſpiritualis impedit matrimonium & dirimit, & quomodo. *Petr.* Inter quas perſonas contrahitur cognatio ſpiritualis? *G.* Inter quatuor perſonas.

Ad cuius euidentiam ſcias quòd tres ſunt ſpecies cognationis ſpiritualis: vna dicitur paternitas, quæ contrahitur inter baptizantem & baptizatum: inter cõfirmantem & confirmatum, vel ſuſcipientem & ſuſceptũ. Alia dicitur compaternitas, quæ contrahitur inter generãtem carnaliter, ſcilicet, patrem & matrem, & regenerantem ſpiritualiter. ſ. baptizantem, & ſuſcipientem. Tertia dicitur fraternitas ſpiritualis, quæ contrahitur inter generatum carnaliter à patre carnali: & regeneratum ſpiritualiter à patre ſpirituali. Item ſpecies cognationis ſpiritualis quæ dicitur paternitas impedit matrimonium, & dirimit iam cõtractum: quia pater ſpiritualis non poteſt habere filiolam ſuam quæ eſt eius filia ſpiritualis: nec filius ſpiritualis matrem ſpiritualem: & ſicut in generatione carnali pater & mater nõ poſſunt contrahere matrimonium cum filiis ſuis: ſic nec in cognatione ſpirituali: quia baptizãs ſe habet vt pater, & gerit perſonam Chriſti: & ſuſcipiens ſe habet vt mater, & gerit perſonã eccleſiæ: vt dictũ eſt de baptiſmo c. 4. Et ideo iſti duo excludũtur à matrimonio reſpectu filiorũ ſpiritualiũ. Similiter ſecũda ſpecies qua dicitur com-

paternitas excludit à matrimonio vtroſque parentes, tam carnales quàm ſpirituales: quia pater carnalis non poteſt habere in vxorem matrem ſpiritualem filij ſui, quæ eſt eius commater: nec pater ſpiritualis eius cõmatrẽ, quæ eſt mater carnalis filioli ſui. ſimiliter tertia ſpecies cognationis ſpiritualis impedit matrimonium. ſ. fraternitas quæ excludit omnes filios & filias: ſiue antè natos, ſiue pòſt natos patris & matris ſpiritualis: & hoc ſolùm reſpectu perſonæ illius, qua ſolùm in baptiſmo vel in confirmatione cognatio ſpiritualis eſt cõtracta. ſ. filioli vel filiolæ. Quia omnes filij vel filiæ parentum poſſunt contrahere matrimoniũ cum filiis & filiabus patrinorũ: cùm per ipſos nulla cognatio ſpiritualis contrahitur. Et ſic patet quod cognatio ſpiritualis impedit matrimoniũ contrahendum: & dirimit contractũ inter perſonas prædictas. ſ. inter ſpirituales parentes: inter filios carnales & ſpirituales, per quos cognatio ſpiritualis cõtrahitur ſolũmodo, & non inter alios. Et ſic ſunt quatuor perſonæ excluſæ à matrimonio pro cognatione ſpirituali. ſ. patris cõpatres, filioli, & filij carnales cõpatrũ. *Petr.* Nũquid poteſt cognatio ſpiritualis

ab vno coniugũ cõtracta in aliũ trãſire: vt ſi vir abſente eius vxore vel vxor abſente viro leuet, vel baptizet puerũ? Et nunquid alter coniugũ abſens efficitur compater & patrinus pueri ratione alterius cõiugis? *G.* Quandoque ſic, & quandoque nõ: quia tantũ iſte modus cognationis indirectè ſumitur, & nõ directè: ſicut eſt ille qui eſt inter baptizantẽ & baptizatum, ſeu ſuſcipientẽ puerũ & parentes carnales pueri. Sed eſt indirectè per factũ alterius coniugis, altero abſente. Ideo notandum eſt quòd ſi alter coniugum leuet puerũ alterius ſine ſuo compatrino coniuge, antequam matrimonium eius fuerit inter eos carnaliter conſummatũ, ſed ſolùm per verba de præſenti confirmatũ: ſi ille abſens eſt per ſui coniugis actionẽ, modo contrahit ſpũalem cognationẽ: ſpũalẽ quia nondum effectus eſt vna caro cum eo qui puerum leuauit, aut baptizauit: quia per vnionem carnis ſequentem non tranſit ad vnionem ſpiritualis pręcedentẽ. Si verò leuauit vel baptizauerit puerũ poſt matrimoniũ conſummatũ per carnalẽ copulã, ſic diſtinguitur: quia cognatio illa ſpũalis contrahitur per actionem vnius cõiugis, alterius filium de ſacro fonte ſuſcipiẽtis.

Sic trãſit cognatio ſpũalis ab vno cõiuge in aliũ,cùm ſit vna caro: quia ſuas actiones communicant, licet non cõmunicent ſuas paſsiones:verbi gratia:Ioãnes & Maria coniuges ſunt vna caro per carnalem copulam coniugalem,per matrimonium eorum conſummatum. Maria ſuſcepit de ſacro fonte puerum duorum coniugum, ſcilicet Martini & Berthæ:& Ioanne viro ſuo ignorante & abſente, vel econuerſo: Ioannes ſuſcepit puerum Maria ignorante per actionem illius Mariæ. Ioannes efficitur compater Martini & Berthæ, & ecõuerſo. Maria fit commater prædictorum per actionem Ioannis: nec nõ poteſt poſt mortẽ Mariæ Bertha cũ Ioanne matrimonialiter copulari : nec Martinus cum Maria poſt mortem Ioannis:nec etiam cum baptizato poteſt coniunx quæ abſens fuerat copulari : aut illa cognatio ſpũalis cõtrahitur per factũ alterius,puerũ vnius cõiugis ſuſcipientem: & tunc an ille puer eſt ex eorum coniugio: & ſic non poteſt abſens,vt dictũ eſt, cũ leuãte puerũ matrimoniũ cõtrahere, ſimiliter cum ſuſcipiente:aut puer non eſt ex eorum coniugio,ſed ex alio: & ſic poteſt cum ſuſcipiente puerum alter coniunx, cuius puer

non eſt, matrimonialiter copulari: quia ſic non trãſit cognatio ſpiritualis à matre in virum, nec econuerſo: vt ſi Bertha leuauerit puerum Mariæ quem habuit ex alio quàm à Ioanne: poſt mortem Mariæ poterit Ioãnes cum Bertha matrimonio copulari. Verſus.

Quæ mihi, vel cuius mea natum fonte leuauit:
Hæc mea cõmater fieri mea non valet vxor:
Si qua meæ natum non ex me fonte leuauit,
Hanc poſt fata meæ non inde vetabor habere.

Notandum eſt & quòd inter ſuſcipiẽtem puerũ, leuantem, & baptizãtem nulla cognatio ſpũalis contrahitur: nec inter eos aliqua cõpaternitas, nec cognatio ſpũalis eſt: ſimiliter inter virũ & vxorem ſuam, ſi ſimul leuãt puerũ de ſacro fonte, non contrahitur aliqua cõpaternitas, nec cognatio ſpũalis: ſimiliter vt dictũ eſt, nec inter eos, & baptizantẽ. Etiã ſi plures leuãt puerum non propter hoc cõtrahitur inter eos aliqua cognatio ſpiritualis, nec paternitas: quia vnus ſolus ad leuandũ ſufficit: ſed ſolùm inter parẽtes carnales pueri, & ſuſcipientes de ſacro fonte eſt compaternitas.

Verſ. *Vnus ſemper erit compater ſpiritualis:*
Alter carnalis, nec fallit regula talis.

Et hæc de cognatione ſpirituali ad præſens

ſens tibi ſufficiant.

De cognatione legali. Caput 33.

P*Etrus.* Nũc de cognatiõe legali ad pręſens mihi dicas, quæ ſit & quomodo matrimonium impediat? *G.* Cognatio legalis eſt propinquitas ex adoptione proueniens. Adoptio autem eſt extraneæ perſonæ in filium vel nepotẽ, vel deĩceps legitima aſſumptio: vnde vbi natura deficit in generatione filiorum, ars ſupplet defectum per adoptionem: & nota quòd cũ propinquus ſuccedat in hæreditatẽ: ideo propinquus nõ adoptatur, ſed extraneus. Et ſicut vir poteſt adoptari in filiũ: ita & mulier poteſt adoptari in filiã vel neptẽ, *P.* Quæ ſunt perſonæ quæ poſſunt adoptare? *G.* Perſonæ liberæ quæ poſsũt de hæreditate ſua diſponere: vnde ſerui nec iuuenes infra xv. annos: etiam mulieres nõ poſſunt aliquem adoptare in filium vel nepotẽ, niſi ex ſpeciali conceſsione principis. Illi etiam qui habent perpetuum impedimentum filiorum generationis, ſicut ſunt frigidi, non poſſunt adoptare: quia non indigent ſolatio filiorum: ſcilicet, illi qui habuerunt liberos, & amiſerunt: vel qui non habuerũt propter impedimentum accidentale, & non perpetuũ

habere potuerunt: tales poſſunt adoptare, ſimiliter iunior ſeniorē adoptare non poteſt: ſed oportet ꝙ adoptans præcedat ipſum adoptatū tāto tp̄e quanto potuiſſet ipſum noturaliter gn̄are, ſcilicet, xvij. annis. Eo quòd adoptās debet ſuper adoptatū dn̄ari: quod nō eſſet cōueniēs ſi iunior ſeniorem adoptaret. *P*. Quomodo fit adoptatio? *G*. Sicut eſt duplex gn̄atio: quædā naturalis, & imperfecta: ſic eſt eorū filiorum qui in fornicatione generantur: & tales non participant in hæreditate patris. Alia eſt generatio perfecta que fit in matrimonio: & tales ſunt hæredes patris etiam: ita eſt duplex gn̄atio & adoptatio legalis: quædam imperfecta & ſimplex: & ſic nō tranſit adoptatus in poteſtatē adoptantis. Et iſto modo quilibet adoptare poteſt quēlibet, etiā ſine authoritate principis: ſed ſolū authoritate alicuius magiſtratus talis apoptatus nō tranſit, nec ſuccedit in hæreditatē adoptantis: nec adoptans tenetur tali adoptato dimittere aliquid in teſtamento ſuo, niſi velit. Eſt autē alia adoptatio perfecta quæ nō fit niſi authoritate principis: nec ſic adoptare poteſt, niſi ille qui eſt ſui iuris: & ſic ſuccedit adoptatus in hæreditatē ipſius adop-

tantis & bonis eius. Et talis adoptatio dicitur arrogatio, vel adoptatio perfecta: imperfecta autem & ea quæ dicitur abrogatio in quatuor differũt. Primò, quia arrogatus eſt ſui iuris: ſed adoptans eſt qui eſt alieni. Secundò, quia arrogatus tranſit in poteſtatem arrogantis: ſed adoptatus non. Tertiò, arrogatus habet de neceſsitate legitimam partem vel ſucceſsionem in bonis arrogantis: ſiue eum emancipet, ſiue decedat, debet ei quartam partem bonorum ſuorum relinquere, vt legitimam ſuam: ſed adoptatus non habet in bonis adoptantis legitimam: nec tenetur ei aliquid relinquere. Quartò, arrogatio nõ fit niſi authoritate principis, in cuius poteſtate ſunt omnia quæ ſũt ſui iuris: ſed adoptatio fit authoritate alicuius magiſtratus competentis: & ſic patet, quid ſit adoptatio. *P.* Nunc dicas quomodo ipſa impedit matrimonium? *Guillelmus.* Quia dictum eſt quòd lex prohibet inter illas perſonas matrimoniũ coniungi: quas neceſſe eſt ſimul cohabitare, ſicut dictũ eſt de cõſanguineis & affinibus. Eo quòd talib⁹ cõcupiſcẽtiæ pateret loc⁹. Et quia filius adoptat⁹ cõuerſatur in domo patris adoptãtis, ſicut filius naturalis: ideo leges pro-

hibent matrimoniũ inter eos copulari:& huiuſmodi ꝓhibitio per eccleſiam eſt ap probata : vnde Nicolaus papa dicit ꝙ adoptiui nõ poſſunt cõiungi naturalibus filiis:aduertendũ eſt autẽ ad ſciendũ inter quos adoptio ꝓhibet matrimoniũ fieri: quod triplex eſt cognatio legalis. Prima, eſt deſcendentiũ quæ cõtrahitur inter pa trẽ adoptantẽ,& filiũ adoptatũ,& filium filij adoptati,& nepotẽ:& deinceps. Secũ da,eſt inter vxorẽ adoptantẽ, & filiũ ado ptatũ:& inter patrẽ adoptantẽ,& vxorem filij adoptati,& iſtæ duæ cognationes legales impediunt perpetuò matrimoniũ. Tertia,eſt inter filiũ adoptatũ,& filiũ naturalẽ:& hæc qñq; ĩpedit,qñq; nõ:qa ma nẽte filio adoptato ĩ poteſtate patris adoptãtis, nõ poteſt contrahere matrimoniũ cum filia naturali: ſed mortuo patre adoptãte vel emãcipato filio adoptato,poteſt matrimonium contrahi inter eos. Simili ter in patrẽ & matrẽ naturalẽ , ſiue patrẽ nulla ꝓpinquitas cõtrahitur ex huiuſmo di adoptiõe:nec matrimoniũ ĩpeditur: ſic ergo patet ꝙ cognatio legalis prima & ſe cunda impediunt,& dirimunt matrimonium,tertia quãdoq, ĩpedit,& qñq; nõ,vt dictũ eſt. Sic patet de cognatione legali.

Triplex cognatio legalis.

De impedimento,ſcilicet,criminis.
Caput 34.

P*Etrus*. De impedimento criminis cõſimiliter mihi dicas quæ ſunt crimina? *Guillelmus*. Crimina impedientia matrimonium plura ſunt & differentia: quædam ſunt quæ impediunt matrimonium trontrahendum,& non dirimunt contractum: quædam etiam ſunt quæ impediunt ſimpliciter & dirimunt, quæ verò impediunt & non dirimunt, ſunt hæc: Inceſtus,ſcilicet, cognoſcere conſanguineam vxoris ſuæ. Secundum, eſt leuare proprium filium de ſacro fonte. Tertium,eſt vxoricidium de quo pòſt dicetur. Quartum, eſt raptus alienæ ſponſæ. Quintum, eſt interfectio presbyteri. Sextum, eſt quando aliquis pœnitentiam ſolennem facit. In iſtis impeditur matrimonium contrahendum: ſed non dirimit iam contractum. Vnde ſi velit ille qui habet aliquod prædictorum impedimentorum contrahere, debet licentiã eccleſiæ obtinere: nec prohibetur ei cùm de periculo eius incontinentiæ timetur. Notandum igitur quòd illi duo caſus,ſcilicet, inceſtus, & leuare puerum de ſacro fonte, ſicut iam ſupradictum eſt,du-

pliciter poſſunt contingere, aut ante matrimonium contractum, ſcilicet, cùm aliquis cognouit aliquam mulierem, & poſtea vult contrahere cum ſua conſanguinea: vel leuat puerum de ſacro fonte antequam contrahat cum matre pueri: ſic impedit matrimonium contractum & conſummatum. Si poſt matrimonium conſummatum non dirimit, ſed ius petendi debitum perdit: ſed tenetur reddere illud alteri coniugi petenti, vt dictum eſt. Crimina verò quæ impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum, tria ſunt.
Primum, eſt quando adulter machinatur cum effectu in mortem legitimi adulteræ: vel adultera in mortem vxoris legitimæ adulteri: ſi poſtea matrimonium contrahãt debet matrimonium dirimi ratione culpæ: quia adultera eſt vel eſt ille adulter: ſecundum crimen eſt, quando viuente legitimo coniuge præſtat fidem cum adultera de matrimonio contrahendo per verba de futuro, quòd ducet eam in vxorem poſt mortem viri legitimi: & poſt mortem vxoris legitimę ipſius adulteri: & hoc intelligitur quando ſcit eam habere virum, vel ipſa cum

habere vxorem:ita quòd vterque ſcit impedimentum propter quod non poſſunt ſimul copulari:quia aliter nõ dirimeretur matrimoniũ,poſtquam eſſet contractum. Tertiũ crimen , eſt quando adulter de facto per verba de præſenti contrahit matrimonium , viuente legitimo viro adulteræ,vel vxore legitima adulteri . Et ſic dirimitur matrimonium : & hoc intelligitur quando vterque ſcit impedimentum. ſi autem vir habens vxorem legitimã cõtrahit de facto matrimonium per verba de præſenti cum aliqua muliere coniugata , quæ ignorat , vtrum ille vxorem habeat,vel ecõuerſo:poteſt in eos poſt mortẽ legitimi viri , vel vxoris legitimæ matrimoniũ conſiſterę:dũ tamen ille qui ſolutus erat fuerit inſcius criminis : & quòd bona fide contraxit , de nouo conſentiat matrimoniũ,dum ad eius notitiãperuenerit . Et hoc intelligitur etiã ſi nulla fuerit inter eas carnalis copula ſubſecuta,viuente legitimo coniuge : quia ſic non liceret coniungi matrimonialiter: vt habetur extrà de eo qui duxit in matrimoniũ illam quã in adulterio polluit:vt quis vxore.ſimiliter hoc ĩtelligitur ſi nõ eſſet machinatus ĩ mortẽ legitimæ cõiugis, vt dicit ibi

dem veniẽs ad præſentiã. Et ſic patet quę ſunt crimina quæ tantùm matrimonium impediunt, & quæ dirimunt matrimonium. *P*. Nunquid poteſt vir propter crimen adulterij vxorem dimittere & alteri nubere? *G*. vir poteſt vxorem dimittere cauſa adulterij: cùm manifeſtum ſit, vt pote, inuenit eam ſolam cum ſolo: & loco & tempore ſuſpecto: & nudam cum nudo: & ſic quantùm ad thorum poteſt eam dimittere, eam accuſando: & celebrabitur inter eos diuortium per eccleſiam, nec tenetur vir reddere debitum ipſi petenti: & ſeparabuntur quo ad thorum, non tamen quo ad vinculum: quia vinculum matrimonij perpetuum eſt, & manet quandiu vixerint: nec poteſt propter diuortium alter alteri eorum nubere. *Petrus* Poteſt ſemper vir vxorem fornicariam dimittere? *G*. Septem ſunt caſus in quibus non licet viro vxorem fornicariam dimittere. Primus eſt, ſi vir etiam fuerit fornicatus. Secundus eſt, ſi vir proſtituerit & duxerit eam ad fornicandum. Tertius eſt, quando vxor credit probabiliter virum ſuum eſſe mortuum, & alteri nubit: & altero redeunte ab illo receſſerit, cum quo antea nupſerat. Quartus eſt, cùm eſt

Quando non licet vxorem fornicariã relinquere

ab alio cognita ſub ſpecie viri quem credebat virum ſuum. Quintus eſt, quando fuit oppreſſa vi & intelligitur de vi abſolluta, quæ non fit per metum. Sextus eſt, quando reconciliauit ſibi poſt commiſſum adulterium, vel publicè adulteram retinuit. Septimus eſt, cùm fidelis ab alio coniuge infideli dimiſſa ſecundum ritum ſuũ eo dimiſſo, alteri nubit, & poſtea vtroque conuerſo ad fidem cogitur per eccleſiam eam recipere. In iſtis ergo ſeptem caſibus non licet viro vxorem fornicantem dimittere. *Petr.* Poteſt ne vir iudicio proprio vxorẽ fornicantem dimittere? *Guillelmus.* Vir poteſt eam dimittere dupliciter. Vno modo quo ad thorum tantùm: & ſic poteſt eã dimittere, quàm citò conſtat ei de illius fornicatione: nec tamen ei reddere debitum tenetur, niſi per eccleſiã compellatur, ſi tamen contigerit quòd voluntariè ei reddat debitum, notam irregularitatis incurrit, & bigamus efficitur: & generat ſibi præiudicium accuſandi eam de fornicatione ſua. Si verò per eccleſiam compellatur ad reddendum ei debitum, efficitur irregularis: ſed non generat ſibi præiudicium accuſandi eam de fornicatione ſua. Alio modo, poteſt, vir-

Quando licet vxorem dimittere.

vxorem fornicantem dimittere,& quantùm ad thorum,& quantùm ad cohabitationem : & ſic non poteſt dimittere niſi per iudicium eccleſiæ,& per diuortiũ. *Petrus.* Nunquid poteſt etiam mulier virum ſuum dimittere cauſa fornicationis & adulterij: ſicut vir vxorem ? *Guillelmus*. In cauſa diuortij quæ fit propter fornicationem & adulterium: vir & vxor ad paria iu dicantur : quia ſicut viro licet dimittere vxorem propter fornicationem, quantùm ad bona matrimonij quæ ſunt fides,& ſacramentum : quia vxor & vir in his ad paria iudicantur: quãtùm tamen ad bonum matrimonij quod eſt proles: maius pecca tum eſt ex parte mulieris, quàm ex parte viri. Et iſto modo propter certitudinem prolis maior cauſa diuortij eſt adulteriũ vxoris, quàm viri, ſic ſequitur quod vir & ſua vxor in diuortio ad æqualia iudicantur, propter fidem & ſacramentum: non tamen ad æqualia propter prolem, vt dictum eſt : licet diuortium fiat inter eos quantùm ad thorum & cohabitationem, non tamen quantùm ad vinculum: quia ipſis viuentibus, vt dictum eſt, ſemper manet vinculum matrimonij. nec poteſt alter, altero viuente, alij nu-

bere.

P. Nunquid poſt diuortium poteſt homo vxorem fornicantem reconciliare ſibi? *G.* Si vxor poſt diuortium de peccato ſuo pœnitentiam ſuam fecerit & emendata fuerit: poteſt eam vir reconciliare ſibi: & tenetur ad virum redire & ei debitum reddere, ſi petat: quia diuortium datum fuit in pœnam adulterantis, & in fauorem eius qui fidem ſeruauit. Si verò poſt diuortium incorrigibilis permanſerit & non voluerit emendari: non debet eam vir ſibi reconciliari, ne ſui criminis particeps videatur. ſi verò contigerit quòd vir poſt diuortium fornicauerit, qui prius ante diuortium innocens erat, per vxorem ſuam quæ prius fornicata fuerat, non poteſt cogi ad reconciliationem: tamen iudex ex officio ſuo debet eum cogere ad reconciliandum vxori, per hoc vt caueatur periculo animæ eius & ſcandalo, & eodem modo agitur de vno adultero ante diuortium, ſicut de vxore dictum eſt.

Quando licet adulteram recõciliare.

P. Quia filij illegitimi probantur ex actu fornicario, & legitimi ex vero matrimonio: ideo de talibus aliquantulum mihi dicas. *Guillelmus.* Quia

Qui ſilij illegitimi. duplex eſt ſtatus filiorum, quidam ſunt naturales & legitimi: ſicut illi qui nati ſunt in matrimonio legitimo ſolenni coniuncto & bona fide. Alij ſunt filij naturales, & non legitimi: vt illi qui ſunt nati ex fornicario concubitu: ſicut ex concubina. Alij ſunt legitimi & non naturales, ſicut ſunt filij adoptiui. Alij ſunt qui nec legitimi ſunt nec naturales: vt illi qui in adulterio nati ſunt & de inceſtu: & tales dicuntur ſpurij, tales autem naſcuntur contra legem poſitiuam non contra legem naturæ expreſſæ: quia verò ignorantia excuſat illicitum concubitum à peccato, niſi ſit ignorantia culpabilis: ideo qui contrahunt bona fide in facie eccleſiæ: quanuis ſit impedimentum matrimonij dum tamen cõiuges abſque ſua culpa illud ignorent, non peccant: nec eorum filij ſunt illegitimi. ſi vterque autem contrahentium in facie eccleſiæ ſciat impedimentum: quanuis eccleſia ſuſtineat, licet ignoret, nec à peccato excuſantur, nec filij ſunt legitimi: ſimiliter nec illi qui contrahunt in occulto clandeſtinè excuſantur à peccato, nec eorum filij legitimi reputantur: ſcias tamen quòd illegitimus filius duplex damnum incurrit,

ſcilicet, quia non admittitur ad actus legitimos: ſicut ad officia & dignitates, ſimiliter nec ſuccedunt in hæreditate paterna: verumtamẽ naturales filij poſſunt ſuccedere in ſexta parte tantum: ſpurij verò in nulla parte ſuccedunt: parentes verò eorum tenentur eis prouidere & ad epiſcopum pertinet, vt cogat parentes vt eis prouideant. *P.* Nunquid poſſunt illegitimi filij de iure legitimari? *G.* Impoſſibile eſt quod illegitimus filius fiat legitimus de legitimo coitu: quia iam tranſiit ille coitus, & nunquam poteſt fieri legitimus coitus ex quo ſemel fuit illegitimus: ſed quodam modo alio poteſt filius legitimari inquantum damna quæ illegitimus incurrit, ſubtrahuntur, & remouentur per legis authoritatem. Sunt ſex modi legitimandi filios: duo ſecundum canones, & quatuor ſecundum leges. Primus ſecundum canones eſt, quando matrimonium ſequitur, ſcilicet, quando ille qui generauit filium ex muliere ſoluta & non per adulterium, contrahit cum ea in facie eccleſiæ: & hic modus non extenditur ad ſpurios. Secundus modus fit per ſpecialem indulgentiam & diſpenſationem domini papæ: & hic modus etiam

Illegitimi quomodo legitimãtur.

extenditur ad ſpurios. Alij quatuor modi ſunt ſecundum leges. Primus eſt, quando pater filium naturalem, vel ſpurium curiæ imperatoris offert: & legitimatur eo ipſo propter curiæ honeſtatem. Secũdus eſt, quando pater in teſtamento ſuo nominauit eum legitimum hæredem: & filium poſt teſtamentum imperatori offerat. Tertius, ſi nullo modo ſit legitimus patris filius: ſemetipſum offert principi. Quartus eſt, quãdo pater ſuo teſtimonio vel trium ſubſcriptione eum legitimum nominat, & adiicit naturalem: prædictis ergo modis ſolent filij illegitimi legitimari. Et ſic de impedimento criminis & de his quæ ad ipſum pertinent ad præſens ſufficiant.

De impedimento diſparitarum cultus. Caput. 35.

P*Etrus.* Nunc de impedimento diſparis cultus eſt dicendum: vtrum ſcilicet, fidelis poſsit matrimonium cõtrahere cum infideli, & ſi inter fideles verum ſit matrimoniũ? *G.* Non licet fideli contrahere cum infideli: quia principale bonum in matrimonio eſt proles educanda, & nutriẽda ad cultum dei: & quia

talis educatio & nutritio ſit per patrem & matrẽ: ideo ſi pater fidelis duceret vxorẽ infidelẽ, & econuerſo, vterq; cogeretur educare puerũ ſecũdũ ritũ legis ſuæ: & ſic infidelis inſtrueret filiũ ſuum ſecundũ falſam legẽ ſuam, & auerteret à lege chriſtiana: ſimiliter bonum fidei non obſeruaretur quantùm ad deum: quia infidelis ſemper niteretur peruertere fidem alterius. ſimiliter nec bonum matrimoniũ quod eſt ſacramentum non obſeruaretur: quia matrimonium infidelium non eſt perfectum ſignum coniunctionis Chriſti & eccleſiæ, cùm non ſint baptizati: ſed tãtùm modo eſt aptitudine ſignum & non actu. Et ideo talis diſparitas cultus impedit matimonium contrahendum, & dirimit iam contractũ: veruntamẽ ſciendũ eſt ꝙ licet inter infideles non ſit matrimoniũ cõpletũ, quantũ ad ſacramẽtũ qđ deſignat vnionẽ Chriſti & eccleſię: tamen eſt inter eos matrimoniũ, inq̃tũ eſt in officiũ naturę & in fœdꝰ ſocietatis. *P.* Nũquid tenetur fidelis cõuerſus ab infideli cõiuge diſcedere? *G.* Si fidelis cõuerſus habet ſpẽ de ſua cõiuge quòd debeat conuerti: & ad fidẽ de infidelitate reuerti, poteſt cũ ea manere. Si verò ſciat eius obſtinationem, & quòd

non poſsit cum ea commorari ſine contumelia creatoris, debet eam relinquere. *P.* Nunquid licet fideli qui ab infideli diſceſsit aliud matrimonium contrahere? *G.* Ad huiuſmodi euidētiam eſt notandum quòd, vt dictum eſt, ad matrimonium tria occurrũt: Primò, ſcilicet, quòd ſit initiatum per verba de præſenti. Secundò, quòd ſit conſummatum per carnalem copulam: quia aliter poſſet per religionis ingreſſum diſſolui. Tertiò, quòd ſit ratum per baptiſmi ſuſceptionem: vnde matrimonium quod habet hæc tria, diſſolui non poteſt: niſi per mortem alterius coniugis. vnde matrimonium infidelium cùm non ſit ratum per baptiſmum qui eſt ianua omnium ſacramentorum, ſolui poteſt per conuerſionem alterius, alio permanēte in errore: & poteſt nubere cùm fideli, & hoc in tribus caſibus. Primò, quando infidelis non vult cohabitare cum fideli conuerſo, ſed dimittit eum: tũc poteſt fidelis conuerſus cum fideli nubere. Et tunc primum matrimonium quod erat imperfectũ, per ſequens matrimonium ſoluitur. Secundò, quando infidelis vult cohabitare cum fideli: ſed non ſine blaſphemia Chriſti, quam

Quomodo inter fidelem & infidelē ſoluitur matrimonium.

fidelis

fidelis conuerſus audire abhorret. Etiam quando non eſt ſpes de conuerſione infidelis: & ſufficienter fuit infidelis monitus à fideli, vt errorem relinquat quem non vult relinquere: & tunc fidelis conuerſus nubere poteſt cum fideli, vel religionem intrare, & ſacros ordines ſuſcipere: nec eſt poſtea infideli conuerſo ad fidem fidelis qui nupſerit, vel votum religionis emiſit vel ordines ſuſcepit, reſtituendus: quia tarditas conuerſionis eſt ei in pœnam: ſi tamen coniunx infidelis conuertatur ad fidem antequam alter in facie eccleſiæ matrimonium contraxerit, tenetur ad coniugem ſuam accedere, nec aliam poteſt ducere ipſa viuente. Tertiò, quando infidelis vult cohabitare cum fideli & ſine contumelia Chriſti: ſed non ſine ſcandalo coniugis fidelis, pro contrahendo ipſum ad peccatum volens eum à fide diuertere. In his prædictis caſibus licet fideli conuerſo contrahere cum fideli alio. Notandum etiam eſt quòd pro aliis peccatis non ſoluitur matrimonium cõtractum, quantũ ad vinculum: ſoluitur tamen quantùm ad cohabitationẽ & quo ad thorum. Et hoc tamen quandoque fit ad tempus: quando. ſ. ſperatur peccan-

tis emenda Quandoque etiam ſimpliciter quando delinquens non vult retrahi à peccato vt dictũ eſt ſuprà de diuortio c. 35. Et hæc de impedimento diſparis cultus ad præſens tibi ſufficiant.

De impedimento coactionis
Cap. 36.

P*Etrus*. Conſequenter de impedimento coactionis & violentiæ mihi dicas, quod tangitur in verſibus ſupradictis cùm dicitur vis: quia vis & coactio generant metũ: ideo primò videndũ eſt quid ſit metus, & quomodo metus cadat in cõſtantem virum: & poſtmodum quomodo matrimonium impedit & dirimit. *Guillelmus*. Quæ ſit coactio, vt ſcias quæ hîc intelligitur: notandum eſt quòd duplex eſt coactio: quædam abſoluta: quæ eſt amoris impetus, quæ non poteſt euitari: & talis coactio non cadit in animam nec in cõſenſum viri: quia eſt ſimpliciter voluntaria. Alia eſt coactio conditionata, ſcilicet, per metum: ſicut qui ſcindit membrum putridum ne corpus pereat, vel proiicit merces in mare, vt ſe & nauem ſaluet: & talis coactio quodammodo voluntariã,

conſideratis conditionibus particularibus & circunſtantiis perſonæ & rerum: & talis coactio cadit in animam viri. Vnde, de iſta vltima coactione quæ fit per metũ hîc agitur & difinitur ſic: Coactio eſt metus inſtãtis vel futuri periculi cauſa metus trepidatio. *P.* Quomodo cadit metus in conſtantem virum? *G.* Ad hoc quòd illud ſcias: notãdum quòd differentia eſt inter virũ conſtantem & inconſtantem: quia vir conſtans cõſiderat periculi qualitatem, & ſequitur rectam rationem, nec cogitur ad maius malum vt euitet minus malũ: ſed potiùs vir conſtans cogitur ad minus malum, vt euitet maius malũ: vir autem inconſtans non cõſiderat qualitatem periculi, nec rectam rationẽ ſequitur, nec euitat malũ maius: ſed facit maius malũ, vt euitet minus malũ: vt cùm peccatum mortale facit propter metũ alicuius pœnæ temporalis. Similiter eſt alia differentia inter eos: quia vir conſtans non cogitur niſi ex forti æſtimatione & probabili: vir inconſtans ex leui. Differt etiam vir conſtãs à pertinaci: quia pertinax nullo modo cogitur ad minus malũ: quod ꝑ euitando maius malũ facit vir cõſtans, vt dictum eſt: & ideo vir cõſtans medius eſt

Vir cõſtans & inconſtans.

inter conſtantem & pertinacem : quia conſtans quandoque cogitur & quandoque non: quia cogitur ad minus malum, vt euitet maius malum contra pertinacem qui nũquam cogitur. Similiter non cogitur ad maius malum vt euitet minus malum, contra inconſtantem qui ad hoc cogitur, ad peccãdum tamen vir conſtans nullo modo cogitur, cùm peccata ſint maxima malorum: imò homo debet eligere magis mori quàm mortaliter peccare. Sunt autem alia damna & præcipuè corporalia: quorum quædam ſunt maiora, & quædam minora. Maiora autem damna & præcipua ſunt, quæ ad perſonam hominis pertinent, vel ad perſonam ſibi coniunctam, ſicut vxoris filij & huiuſmodi: ſicut verberatio, dehoneſtatio per ſtuprum, mors, ſeruitus, & ſimilia. Et ideo ex iſtis damnis imminentibus conſtans vir cogitur ad alia damna corporalia minora ſuſtinenda: ſic & hoc habetur per hos verſus.

Excuſare metus hos poſſe putáque neſcis,
Stupri ſiue ſtatus verberis atque necis.

Metus autem infamiæ non cadit in cõſtantem virum : licet ſit magnum damnum, vt dicunt iura: quia ei de facili po-

teſt occurri. Quando autem ex metu cadente in conſtantem virum, vir conſtans promittit aliquid alteri, propter hoc non cogitur ad mentiendum: quia vult dare quando promittit, ſcilicet, cùm poſtea vult, poteſt repetere & reſtitutionem ſibi fieri: vel ſaltem poteſt iudici denunciare, ſi promiſerit ſe petiturum reſtitutionem ſibi fieri: quod autem non poſsit denunciare iudici promittere non poteſt, cùm hoc ſit contra bonum iuſtitiæ, quia nullus cogi poteſt quòd faciat contra iuſtitiam. Et ſic habes quomodo coactio & metus cadunt in conſtantem virum. *Petrus.* Nunc ad propoſitam quæſtionem, ſcilicet, quomodo impedit matrimonium conſenſus coactus, edicito. *Nota.*

Guillelmus. Quantùm ad coactionem primam quę eſt per abſolutam coactionem, matrimonium omnino diſſoluitur & tollitur: eo quòd talis coactio abſoluta quæ ſpecialiter cadit in conſtantem virum, tollit vinculũ amicitiæ quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & eccleſiæ. Tollit etiam perpetuitatem vinculi matrimonij, eo quòd talis coactio abſoluta repugnat illi perpetuitati cõtractus, cùm poſſit peti reſtitutio in integrũ, & ideo ſim-

pliciter coactio abſoluta cadens in conſtantem virum impedit, & dirimit matrimonium: quantùm verò ad ſecundam coactionem conditionatam quæ fit per metum: quandoque tenet, & quãdoque non. Tenet autem matrimonium quando ille metus leuior eſt: quãdoque etiam non tenet, quãdo, ſcilicet, metus talis eſt quòd cadit in conſtantem virum. Et licet liberè vnus & alter cõſentiat, matrimonium non tenet: quia metus libertatem conſenſus tollit. Similiter quia matrimonium non claudicat: oportétque quòd vterque liberè in alterutrum conſentiat, & ideo talis coactio tollitur. Nota tamen quòd licet talis coactio tollat & dirimat matrimoniũ: ille coniunx qui coactus fuerat, ſi poſtmodum liberè in matrimonium conſentiat: tunc matrimonium illud firmabitur & ratificabitur: vnde ſi mulier coacta fuerit ad matrimonium contrahendũ per metum cadentem in conſtantem virum, & pòſt in matrimonio liberè cõſenſerit: tunc illo cõſenſu fiet matrimonium & erit firmum: quod poſtmodum non poterit dirimi: dum tamen vir permaneat in eodem cõſenſu liberè, cum qua prius contraxit: & idem eſt iudicium de viro coa-

ĉto,ſicut de muliere. Itē notandū quòd ſi iurauerit per metum cadentem in cōſtantem virum ſe contracturum matrimoniū cū aliqua: illud iuramentum non obligat in iudicio fori,cùm ſit extortum. In iudicio tamen poli in quo iudicatur magis ſecundum ea quæ ſaluti animæ conſulentis expediunt: conſulendū eſt,vt ſi ei expediat,adimpleat iuramentū. ſi verò ei non expediat, per ſuperiorem expectet de iuramēto abſolutionis beneficiū: iuramentum autem factum ad peccādū nullo modo obligat:nec eſt adimplendum. *Petrus.* Nunquid parentes poſſunt cogere pueros ſuos ad matrimonium contrahēdum? *G.* Abſolutè loquendo non poſſunt eos cogere ad cōtrahendum matrimonium: verumtamen ex aliqua cauſa rationabili pater poteſt inducere filium ad matrimonium contrahendum:ſicut pro pace amicorum,vel patriæ. Et ſic liberi tunc ſe debent ad illa determinare de neceſsitate: & obedire parentibus dum cauſa illa illos cogat,aliter non:& propter hoc ſequitur,quando parentes iurant ſponſalia liberorum, ſemper ſubintelligitur ex natura contractus conditionalis.ſ.quòd liberi conſentiant.

De impedimento ordinis. *Caput* 37.

PEtrus. Poſtmodum de impedimento ordinis eſt dicendum. *G.* Sacer ordo ex vi ordinis & voto continentiæ eidem annexo impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: poſt ſuſceptionem ordinis ſacri impeditur etiam matrimonium priùs contractum ſecundum vſum: ſi verò vir ſuſcepit ordinem volente vxore vel ipſa ſciente, & non reclamante extunc: vxor tenetur perpetuò vouere continentiam, nec propter hoc religionem intrare: niſi de periculo continentiæ & caſtitate eius timeatur. Si verò vir viuente & ignorante vxore ſacros ordines ſuſceperit, characterem ſuſcipit ordinis: ſed executione caret: & vxori petenti tenetur reddere debitum: ipſe tamen petere nō poſſet. Sunt autem tres ordines ſacri de quibus dictum eſt capite, de ordinibus, qui impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. ſ. ſubdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus: quia in ipſis eſt annexa continentia, vt dictum eſt de ordinibus. Minores verò ordines non impediunt

Quibus ordinibus annexa continentia.

matrimonium contrahendum nec dirimunt iam cõtractum, vt ibidem dicitur: & hoc quod dictum eſt de impedimento ordinis, habetur apud nos in eccleſia occidentali: quia apud Græcos in eccleſia orietali aliter ſe habet, quia licet apud eos ſacer ordo impediat matrimonium contrahendum, ſicut apud nos: tamen apud eos ſacerdotis ordo non impedit matrimonium, vel vſum matrimonij iam contracti: quia promoti ad ſacros ordines in eccleſia orietali poſſunt vti matrimonio priùs contracto cum virgine: licet poſt ſuſceptionem ſacrorum ordinum non poſſint de nouo contrahere. Et hæc de impedimento ordinis tibi ſufficiant.

De impedimento ligaminis.

Caput 38.

PEtrus. Mihi dicas de impedimento ligaminis quid ſit. *Guillel.* Impedimentum ligaminis conſiſtit in eoquòd homo ligatus cum muliere per matrimonium, vel mulier cum viro non poteſt per matrimonium alteri copulari alio viuente, cum quo contraxit poſt matrimonium: ex quo ſequitur quòd vnus homo plures mulieres habere non poteſt ſimul: verumtamen antiqui patres ex diſpenſatio-

ne habuerunt propter cauſam prolis generandæ:ideo in illis eis fuit licitum, ſed nunc illicitum eſt: quia homo & mulier efficiuntur vna caro:ideo homo non poteſt dare carnem ſuam pluribus mulieribus: ſimiliter nec mulier pluribus viris: & ideo vir & mulier non poſſunt cum alio nubere,ſuo coniuge viuente: & ſi hoc fecerint non eſt matrimonium. *Petrus.* Mulier credens virum ſuum mortuum, nunquid poteſt alteri nubere licitè, vel vir alteri mulieri? *Guill.* Extrà in decretali de nuptiis c. dominus ac redemptor: dicitur quòd nullus ad ſecundas nuptias migrare præſumpſerit donec ſcierit pro certo quòd mortuus ſit coniunx. Vnde ex ſola credulitate mortis alterius cõiugis, vel coniectura leui non licet alteri coniugi matrimoniũ contrahere:ſed magis requiritur certitudo, quæ per iuramenta aliquorum qui eum mortuum nouerũt,habeatur. Dicit tamẽ Hugo quòd iuramentum vnius teſtis ſufficit cum atteſtatione publicæ famæ:aliter non. Notandum tamen eſt quòd quãdo alter coniugum credit alterum mortuum firmiter, & poſtea cum alio contrahit:ſi poſtea oriatur dubitatio de vita illius: ſi de tali dubitatione

certitudo vitę coniugis prioris habeatur: alter qui cum alio contraxerit non petere poteſt nec reddere debitum cum ſecundo: ſed mortaliter peccaret ſi hoc faceret, & adulterium committeret. Si verò dubitet ſolùm, & hoc ex cauſa rationabili: tunc non debet petere debitum à ſecũdo coniuge: ſed poteſt ipſi petenti debitum reddere. Si verò dubitet quòd ex leui & indiſcreta dubitatione proueniat: debet à corde ſuo abiicere talem dubitationem temerariam: quo facto poterit petere & reddere debitum licitè. *P*. Nunquid tenetur primus vir illam recipere quæ ſic contraxit cum ſecundo viro? *G*. Sicut priùs dictum eſt, ſic dicendum eſt, quòd ſi illa contraxit cum ſecundo viro ex certa ſcientia, ſciẽs primum virum viuere, adultera eſt: nec tenetur primus vir eam recipere. Si verò per ignorantiam probabilem, quia credebat eum mortuum quæ contraxit cum alio, tunc diſtinguẽdum eſt: quia aut ſtatim fuerit reuerſa ad primum cum cognitionem vitæ ſuæ habuerit: & ſic recipere tenetur eam: aut non eſt ſtatim reuerſa, & ſic nõ tenetur eam recipere, quia adultera eſt. Et hæc de impedimento ligaminis ad præſens ſufficiant.

De vltimo impedimento .ſ. impotentia coeundi. Cap. 39.

Ex cauſa impotente coeundi.

PEtr. De vltimo impedimento in verſibus prioribus contento dicas, ſcilicet de impotẽtia coeundi: quod tangitur cùm dicitur, ſi fortè coire, & cæter. *Guillelmus.* Impotẽtia coeundi duplici ex cauſa prouenit: vel ex frigiditate vel ex maleficio. *Petrus.* De vtroque audire cupio: & primò de impedimento frigiditatis, quomodo matrimonium impedit & dirimit. *Guillel.* Frigiditas impedit matrimonium, eo quòd alter coniugum dat alteri corporis ſui poteſtatem ad reddendũ debitum carnalis copulę. Et quia frigiditas impedit huiuſmodi redditionẽ: ideo impedit etiam matrimonium: quia frigidus ad impoſsibile ſe obligare nõ poteſt, cuiuſmodi eſt redditio: ſed notandum eſt quòd cauſa frigiditatis duplex eſt: quædam temporalis cui poteſt ſubueniri beneficio artis medicinæ, vel ætatis: & hoc matrimonium totaliter impedit & ſoluit. Alia eſt cauſa perpetua cui non poteſt ſubueniri, & hoc fit dupliciter: Quia aut illa cauſa præceſsit matrimoniũ, aut ſequitur: ſi pręceſsit, ſic impedit matrimo-

nium contrahendum,& dirimit iam con
tractum: ita tamen quòd ille qui illud im
pedimentum habet perpetuò maneat abſ
que ſpe coniugij : ille verò ex parte cu-
ius non eſt repertum impedimentum nu
bat cui voluerit in domino. ſi verò illud
impedimentum ſequitur matrimonium
iam contractum,& conſummatum: ſicut
cùm aliquis habens vxorem caſtratur,
vel ex infirmitate deueniat frigidus vel
impotens ad carnalem copulam: propter
hoc non dirimitur matrimoniũ iam con-
tractum. Notandum etiam eſt quòd licet
ſenibus nubere, quanuis non poſſunt ge-
nerare, cúm non habeant caliditatem ſuf
ficientem ad generãdum : habent tamen
caliditatem ſufficientem ad reddendum
debitum carnalis copulæ: & ideo conce-
ditur eis matrimonium, ſecundum quod
eſt in remedium,& ſecũdum quod eſt of-
ficium naturæ ad generationem. *Petrus.*
Quomodo poteſt frigiditas cognoſci? *G.*
Ad cognoſcendum illud impedimentum
frigiditatis eſſe perpetuum, eccleſia tres
annos ſtatuit, in quibus ſi fideliter vterq;
operam carnali copulæ adimplendæ de-
derunt,& impleri non potuit: iudicio ec-
cleſiæ poſſunt diſſolui, altero tamen pro

clamante,vel vtroque:ſed ſi vterque proclamat ad iudicium, & profitetur impedimentum:tunc propter impedimentũ colluſionis, vterque iurabit quòd bona fide operam dederunt carnali copulæ adimplendæ, & cauſam quare adimplere non potuerunt: & cum ſeptima manu propinquorum eorum perſonas & ſtatum cognoſcentium,quod credendum iurabunt: ſi verò alter confitetur tantùm, & alter negat: ſi vir fuerit qui prouocat ad ſeparationem,muliere negante, viro incumbit probatio: quia illi ſoli non creditur. Si verò mulier prouocat ad ſeparationẽ, viro negante vel contrarium aſſerente, ſcilicet, carnalem copulam præceſsiſſe, creditur viro:quia caput eſt mulieris: niſi mulier velit probare impedimentum per defectum corporis: debet tamen maior caliditas adhiberi circa virum, quàm circa mulierem:quia frigiditas quæ faceret virum impotentem non faceret mulierem impotentem. Notandum etiam quòd in muliere eſt aliud impedimentum quod dicitur artatio: & eſt impedimentum naturale, & ita tollit matrimonium, ſicut & frigiditas viri: quia ſi non poſsit ei ſubueniri per artem chirurgiæ

& matrimonium præcedat, ſeparanda eſt à viro: & viro dabitur licentia nubendi alij: & ipſa mulier innupta manebit: veruntamen ſi alij nubat, & ab illo cognoſcatur, primo viro debet reddi, & ſic mulier de frigiditate viri: quia ſi vir poſt ſeparationem nupſerit alij & eam cognouerit redire debet cum prima vxore: quia conſtat eccleſiam, in iudicando impedimentum quod fuerit perpetuum cùm temporale ſit, fuiſſe dececeptam. Item notandum quòd ſi vir non poſſet complere carnalem copulam cum virgine, & tamen cum corrupta: propter hoc non eſt matrimonium dirimendum: quia medicinaliter poſſet aliquo modo vel inſtrumento clauſtra pudoris frãgere & ei coniungi, nec hoc eſt contra naturã: quia non fieret ad delectationem, ſed magis ad medicamentum. Vlteriùs etiam eſt notandum, quòd ſi alter antequam contraxit ignoret penitus impedimentum alterius, ſcilicet, quod ſit impotens ad coeundum: poteſt ſeparari ab eo ſi vovoluerit, cùm impedimentum cognoſcit. Si verò ſciat illud impedimentum antequam matrimonium cõtrahatur cum eo,

non dirimit matrimoniem poſtquam cō tractum eſt: quia oſtenditur quòd alium finem quærit in illo contractu: & ideo matrimonium ſtat & non ſoluitur. Sic ergo patet de impedimento frigiditatis.

De Maleficio.
Caput 40.

PEtrus. Nunc poſtremò de impedimento maleficij mihi dicas. *Guillelmus.* Sicut de frigiditate dictum eſt, ita dicendum eſt de maleficio: quia ſi maleficium ſequatur matrimonium iam contractum, ſiue conſummatum fuerit per carnalem copulam, ſiue non: dirimit matrimonium iam contractum. Si verò præcedat matrimonium contractum: ſic etiam eſt diſtinguendum vt priùs: quia illud maleficium eſt perpetuum, & ſic dirimit matrimonium. Aut eſt temporale, & ſic non dirimit: & ad hoc experiendum eccleſia tempus trium annorum ſtatuit, ſicut de frigiditate: quia ſi infra illos tres annos matrimonium cōſummari non poſsit per carnalem copulam: perpetuum maleficium iudicatur: & poſſunt

ſunt ab eccleſia ſeparari, ſicut dictum eſt de frigiditate. verumtamen differentia eſt inter frigiditatem & maleficium: quia frigiditas impotentem eum facit ad omnes mulieres: & ideo non datur licentia nubendi alij mulieri: ſed ex maleficio poteſt homo eſſe impotens ad vnam mulierem, & non ad aliam: ideo quandoque iudicio eccleſiæ diſſoluitur propter impedimentum maleficij, & vtrique datur licentia ad matrimonium contrahendum, tam viro quàm mulieri. *Petrus.* Vnde prouenit maleficium? *Guillelmus.* Ex diabolo, deo permittente: quia corruptio primi peccati per quod homo factus eſt ſeruus diabolo, deuenit in eos per actum generantem: & ideo poteſtas maleficij permittitur diabolo à Deo in hoc actu, magis quàm in aliis actibus: ſicut etiam in ſerpentibus oſtenditur virtus maleficiorum, magis quàm in aliis animalibus: quia per ſerpentem diabolus mulierem tentauit: & illud impedimentum maleficij deo permittente poteſt eſſe ex impreſsione dæmonis in imaginatione hominis: ex qua tollitur viri concupiſcentia mouens ad talem mulierem, & nõ ad aliam. ſimiliter poteſt præſtare impedi-

Quid maleficium.

mentum quantùm ad omnes mulieres, impediens actionem concupiſcentiæ ad quod carnalis copula tollitur: vnde & maleficium perpetuum dicitur quia humanò opere non poteſt remedium adhiberi. *Petr.* Nunquid licitum eſt impedimentum maleficij per aliud officium amoueri? *Guillelmus.* Non oportet illud impedimentum quod maleficio factum eſt per aliud maleficium amoueri & deſtrui, ſicut malefici teſtantur: & tamen ſi poſſet per maleficium adhiberi remedium, nihilominus perpetuum iudicantur impedimentum. Quia nullo modo debet aliquis auxilium dæmonum inuocare. Nec etiam oportet quòd ſi propter aliquod peccatum data ſit diabolo poteſtas in aliquem hominem, quòd ceſſante peccato ceſſet huiuſmodi diaboli poteſtas: quia tranſeunte culpa remanet pœna. quia licet in hoc mũdo abſolutus ſit homo à culpa: tamen propter reatum pœnæ quæ remanet, permittit Deus hominem in hoc mundo à dæmonibus fatigari. Similiter ſciendum eſt quòd licet exorciſmi valeãt ad expellendum plurimas dæmonum infeſtationes: non tamen ſemper valent ad reprimendum eas quantùm ad moleſtias

Maleficiũ maleficio nõ expellẽdum.

corporales, diuino hoc exigente iudicio: tamen exorciſmi valent ſemper contra illas infeſtationes dæmonum qui ſunt principaliter conſtituti. Igitur patet quid ſit maleficium, & quòd ſeparandi ſunt coniuges ſi ſit perpetuum: & quòd ab eccleſia ad cuius impedimenti cognitionem eſt taxatum, ſcilicet, triennium: & poſt illud tempus abinuicem eccleſiæ authoritate poſſunt ſeparari, vt dictum eſt de frigiditate, verumtamen ſi poſt ſeparationem potentia redierit, ſcilicet, ſe mutuo carnaliter cognoſcendo, debet inter eos matrimonium reintegrari: quia illud impedimentum maleficij non fuerat perpetuum, ſed potius temporale. Sic igitur de impotentia coeundi, & ſacramento matrimonij hæc ad præſens ſufficiant. Igitur Petre hæc paucula quæ dicta ſunt de ſeptem ſacramentis tibi ſufficiant quæ potui & breuiùs deſcribi à Sancto Thoma principaliter collegi, à Petro de Tarentaſia quorundam aliorum dicta inferendo: ſi quæ tamen inueneris minus ordinatè poſita: Non eorum ſcripta culpes, ſed meam potiùs ignorantiam: ſi autem inueneris aliqua quæ ad pręſens minimè tenentur, hoc eſt propter iurium

nouitatem, quæ ſunt poſtmodum confir mata : prout reperi de ſententia excommunicationis & de publicæ honeſtatis iuſtitia. Hæc igitur paucula gratanter accipe & propera ad maiora ſcripta, & etiam ad iura recurre. Pro me tantùm in hoc opere feſſo ipſum exora à quo omnia ſacramenta virtutem obtinent, dominum, videlicet, Ieſum Chriſtum qui cum patre & ſpirituſſancto viuit & regnat Deus, benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

AD cognitionem prǫſentis operis de adminiſtratione ſeptem ſacramentorum eccleſię, & inuentionem faciliorem eorum quę in eo continentur, eſt notandum quòd qui vult inuenire aliquem caſum in aliquo ſeptem ſacramentorum contentum, per tabulam ſequentem inueniet: in quo loco continetur & in quo foliculò. Et primò de ſacramento Baptiſmi. Et conſequenter de aliis ſacramẽtis ſecundum quod inferiùs aſcribuntur.

DE ſacramento baptiſmi. 1
Baptiſmus eſt ianua omnium ſacramẽtorum, baptiſmus triplex eſt. ibidem.
Ex quibus conſtituatur baptiſmus. 2
Aqua eſt materia baptiſmi. ibidem.
Aqua naturalis eſt ſolùm materia baptiſmi & non alia aqua. ibidem.
Quare aqua eſt materia baptiſ. magis q̃ aliud. ibidem.
Quæ ſit forma baptiſmi. 2
Vtrum ly ego, & ly amen ſint de eſſentia formæ. ibidem.

Vtrum homo poſsit ſeipſum baptizare. ibidem.
Vtrum poſsit dici baptizo te in nominibus. ibidem.
Vtrum poſsit baptizari in nomine genitoris & geniti. ibidem.
Quinq; modis forma bapt. variatur. 3.4
De modo baptizandi.
Vtrum fiat per aſperſionem vel immerſionem. 5
Vtrum debeat fieri ſimul immerſio, vel aſperſio, aut pluries. ibidem.
Vtrum facta vnica immerſione vbi plures fieri debẽt, impediatur baptiſmus. ibidem.
Quæ pars corporis debet immergi vel aſpergi. 5.6
Vtrum baptiſmus ſit ſtatim dãdus vel differendus. 6
Vtrum pueris gentilium vel infidelium ſit baptiſmus miniſtrandus. ibidem.
Vtrum pueri reperti in biuiis ſint baptizandi. ibidem.
Vtrum hi de quibus dubitatur de eorum baptiſmo ſint bapti. 7
Vtrũ quilibet homo poſsit baptizare. ibi.
Vtrũ ad ſolos ſacerdotes pertineat bapt. 7
Vtrũ in neceſsitate pater aut mater poſsit

proprium filium bapti. 8
Vtrum duo homines poſsint vnum puerum baptizare. ibidem.
Vtrum ſciſmatici & infideles poſſunt baptiza. ibidem.
Vtrum adultis antè accedentibus profit baptiſmus. ibidem.
Ad quid gratia quæ cõfertur in baptiſmo proficiat. 9
Vtrum ad leuandum puerum de bapti, debent aliqui intereſſe. ibidem.
Quot ad leuandũ puerũ eſſe debeant. 9
Vtrum omnes cõſanguinei pro vna perſona ad leuandũ puerum reputẽtur ib.
Quot annorum debent eſſe puerum de baptiſ. ſuſcipientes. ibidem.
Vtrum ſacerdos baptizans puerum maſculum pro fœmina debeat iterum illũ baptizare. 10
Vtrum matre mortua puer ſit extrahendus per apertionem matris à corpore eius: & ſi mortuus inuentus fuerit nunquid eſt ſepeliendus cum matre. ibidẽ.
Quid ſit cathecíſmus, & exorciſmus. ibi.
Vtrum puer in neceſsitate baptizatus debeat cathecíſmus fieri. 11
Quis debeat præcedere exorciſmus an cathecíſmus. ibidem.

DE ſacramento confirmationis 11
Quot ſunt ſacramenta que imprimunt characterem. 12
Quæ ſit materia & forma ſacramenti confirmationis. ibidem
Ad quos pertineat ſacramentum confirmationis miniſtrare. 12
Vtrum omnes debeant ſacramentum confirmationis ſuſcipere, ibidem
Quòd ſuſcipiens debet eſſe ieiunus & cõ feſſus. 12
In qua parte debeat confirmari. ibidem
Quòd confirmatus debet teneri ab alio. 12.13.
Quod per triduum debet deferre ligaturam. ibidem
DE ſacramento ordinis. 13
Quid ſit ſacramentum ordinis. ib.
Quot ſunt ordines. ibidem
Quòd ſacramentum ordinis eſt vnum. 14.
Vtrum in quolibet ordine imprimatur character. ib
Quid veſtes ſacræ ſignificent. 16
Vtrum corona ſit ordo. 17
Vtrum epiſcopatus ſit ordo. ibidem
Vtrum alij ſacerdotes ab epiſcopis poſſunt ordines conferre. 18.

Vtrum non baptizatus & non confirmatus poſsit ordinari. ibidem
Quæ impediunt ſuſceptionem ordinum 18. 19.
Vtrum defectus cognitionis impediat ſuſceptionem ordinis. ibidem
Vtrum ſeruitus impediat. ibidem
Vtrum homicidium impediat. ibidem
Vtrum illegitimatio impediat. 20
Vtrum matrimonium impediat. ibidem
Vtrum bigamia impediat. 21
Quomodo contrahatur bigamia & quot modis. ibidem
Vtrum vitium membri impediat. 22
Vtrum poſsit aliquis in vna die plures ordines ſuſcipere: & vtrum furtiuè ſuſcipiens, vel per ſaltum priuetur ab executione. ibidem
Vtrum hæretici, degradati, & huiuſmodi poſſunt ordines conferre. ibidem
Vtrum miniſtrans in ordine ſuſcepto exiſtens in peccato mortali, peccet. 23.
Vtrum ordinatus teneatur dicere horas canonicas. ibidem
DE ſacramento euchariſtiæ. 23
Euchariſtia quid ſit. ibidem
Vtrum panis & vinum ſint materia huius ſacramenti. ibidem

Vtrum debeat confici de fermento aut azymo. 24
Quare ad conſecrationẽ vinũ requiratur & de quo vino debeat celebrari. ib.
Vtrum aqua ſit vino admiſcenda. ibid.
Vtrum ex ſolo vino ſine aqua poſsit confici ſacramentum. 25
Vtrum hæc verba, hoc eſt corpus meum, ſint forma huius ſacramenti. ib.
Vtrum poſsit conſecrari corpus ſine ſanguine. 26
Vtrum accidentia poſt conſecrationem per ſe maneant. ibidem
Quid de vermibus ex eis generatis ſit faciendum. 27
Quòd ſacerdos eſt ſolus miniſter huius ſacramenti. ibidem
Vtrum ſacerdos celebrans debet eſſe ieiunus. ibidem
Vtrum ſumptio aquæ, vel alicuius medicinæ frangat ieiu. ibidem
Vtrum reliquiæ ciborum in dentibus impediant ſacramenti celebrationem. 28
Vtrum ſacerdos debet eſſe confeſſus antequam celebret. ibidem
Vtrũ in miſſa ſacerdos poſsit ſe abſtinere à confeſ. abſque peccato. 28 29
Vtrum pollutio nocturna impediat cele-

bratione:& quot modis prouenit. ibi.
Vtrum ſacerdos abſque indumentis ſacerdotalibus poſsit celeb. 31
Vtrum ſacerdos poſsit plures miſſas in die celebra. ib.
De defectibus occurrentibus in miſſa ſacerdoti. 32
De periculis accidentibus in miſſa circa ſpecies ſacramen. ib.
Quid agendum eſt ſi ſanguis ſtillauerit ſuper altare. 34
De qua materia debet eſſe calix. 35
Quibus miniſtranda eſt euchariſtia. ib.
Vtrum peccatoribus ſit miniſtranda. ib.
Vtrum peccatoribus occultè petentibus ſit neganda. 36.
Vtrum panis loco euchariſtiæ poſsit dari. ib.
Qua hora miſſæ celebrati debent. ib.
De his quæ dicuntur in miſſa. ibidem & ſequen. 37
De his quæ fiunt in miſſa. ib.
De ſacramento pœnitentiæ. 44
Vtrum pœnitentia ſit ſacramen. & quare dicatur ſecũda tabu. ib.
Quid ſit pœnitentia & quæ ſit eius materia & forma. ib.
Vtrum in abſoluendo requiratur manus

impoſitio ſacerdo. 44
De quibus peccatis ſit propriè pœnitentia iniungenda. ib.
Quòd pœnitentia eſt triplex. 45
De ſolenni pœnitentia. ib.
Vtrũ confeſsio debeat fieri de quolibet pec. mortali & veniali. 46
Vtrum quilibet fidelis teneatur de neceſſitate ad confi. ib.
Vtrum confeſsio debeat fieri proprio ſacerdoti & non alij. ib.
Vtrum mulier debeat confiteri ſacerdoti peccatũ quod cum eo commiſit. 47
Vtrum confeſſio poſsit fieri per interpretem vel ſcripturam. ib.
Vtrum confeſsio poſsit fieri in neceſsitate alij ſacer. quàm propr. 48
Vtrum ſacerdos in confeſsione poſsit à confitente aliqua interrogare. ib.
Quæ ſunt circunſtantiæ quę aggra. peccatum, & quæ ſunt confi. ib.
Quæ ſunt conditiones confeſsionis. 49
De abſolutione vtrum quilibet ſacerdos poſsit pœnitentem abſoluere ab omnibus peccatis extra neceſsitatem. 50
Vtrũ quilibet ſacer. in neceſsi, poſsit abſoluere pœni. ib.
De expoſitione quinque caſuum reten-

torum à iure pro quibus ſimplex ſacerdos remittit pœnitentē ſuperiori. ib.
Vtrum excommunicatus prius ſit abſoluendus à peccatis quàm ab excommunicatione. 50
Vtrum quilibet ſacerdos poſsit excommunicatum abſoluere:ad quem pertinet abſolutio excommunicationis. ib.
Vtrum excommunicatus poſsit à iudice abſolui. 54
Vtrum excõmunicatus pluribus excommunicationibus poſsit ab vna ſine alia abſolui. 54.
Vtrum iudex poſsit excommunicatum abſoluere à peccato, ſicut eum abſoluere ab excommunicatione & de poteſtate clauium. 54.55.
Vtrum ſimplex ſacerdos poſsit abſoluere à minori excom. 55.
Vtrum liceat cum excommunicato participare: & caſus quibus licet, & quibus non. 56.
Vtrum tota pœnitentia pro peccatis ſit iniungenda:vel ſit ad arbitrium ſacerdotis. 57
Vtrum infirmis ſit pœnitentia iniungenda, vel innoteſcenda. 57.58.
Vtrũ vnus pro alio poſsit ſatisfacere. ib.

Vtrum indulgentiæ proſint & tantùm valeant quantùm ſonant. ib.
De partibus ſatisfactionis. 59.
Vtrum in oratione ſemper requiratur intentio actualis. ib.
Vtrum oratio debeat ſemper eſſe vocalis & nunquam mentalis. 60.
Vtrum illi qui obmiſit diuinũ officium vt horas canonicas iniungendum ſit vt iterum dicat. 61
De oratione dominica & petitionib⁹ quę in ea continentur. ib.
DE eleemoſyna & partibus eius vtrũ ſub præcepto cadat. 62.
Quot ſunt eleemoſynæ corporales. ib.
De quo ſit facienda eleemoſyna. 63.
Vtrum de malè acquiſitis. ib.
Vtrum de acquiſitis ad taxillos poſsit fieri eleemoſyna. ibidem.
Vtrum perſonæ ſubiectæ poſsint facere eleemoſynã de bonis dominorum ſine licentia. 63.64.
Vtrum clerici debeant dare eleemoſynas de his quæ ſuperfluunt. 64.
Vtrum propinquioribus vel melioribus danda ſit eleemo. 64.65.
Vtrũ ioculatoribus ſit eleemo. danda. 65.
Vtrum aliquis ſibimet poſsit facere elee-

moſynam. ibidem.
Vtrum eleemoſyna quæ datur pro defunctis poſsit differri ſine peccato. 66
Vtrum ex earum dilatione pariatur defunctus. ibidem
De eleemoſyna ſpirituali & quót ſunt.ib.
De fraterna correctione. 66.77
Quibus incũbit fraterna correctio. 77
Vtrum peccator poſsit corrigere. 68
Vtrum ſecreta monitio debeat præcedere publicam denuncia. ib.
Vtrum religioſi peccent proclamantes publicè fratres in capitulo. ib.
De ieiunio vtrũ cadat ſub p̃cepto. 69
Qui ſunt & quæ perſonæ à ieiunio abſoluuntur. ibidem
Vtrum peregrini & laborantes ieiunare teneantur. 70
Vtrum ſerui nobilium & aliorum ieiunáre teneantur. ib.
Vtrum prægnantes & nutrices ieiunare teneantur. 71
Ad quem pertinet diſpenſatio ieiunij.ib.
Vtrum paupertas excuſet ſemper à ieiunio. ibidem
De temporibus ieiuniorum. ib.

Vtrum temporibus ieiuniorum ſit ſemel comedendum. ibidem
DE reſtitutione, vtrũ ſit de neceſsitate ſalutis. 73
Vtrum in furto & rapina ſit reſtitutio facienda. ibidem
Vtrum quis accipiendo res ſuas occultè furtum committat. ibidem
Vtrum quis pro re ſua violenter detenta poſsit aliam rem accipere. 73.74
Vtrum rapina ſit grauius peccatũ quàm furtum. ibidem
DE vſura, vtrum licet aliquid recipere pro pecunia mutua. 74
Vtrum ille qui damnum incurrit pro imitatione pecuniæ poſsit illud repetere. 76
Vtrum fauor, obſequium, & munus à manu & lingua poſſunt pro pecunia mutuari. 77
Vtrum omnia quæ lucrata ſunt ex pecunia vſuraria ſint reſtit. ib.
Quomodo damnum latum in perſona & quomodo damnum illatum in rebus, reſtituendum ſit. 78
Vtrum reſtitutio ſit ſemper facienda ei à quo res eſt ablata. 79
Vtrum ille qui damnum infert teneatur

ſemper reſtituere. ibidem.
Vtrum accipientes res in bello teneãtur reſtituere. 80
Vtrum præſcriptio ſemper valeat. 81
Vtrum liceat res vendere pluſquam valeant. ibidem.
Quomodo vẽditio eſt licita propter defectum rei. 82
Vtrum vẽditor debeat ſemper dicere defectum rei vendendæ. 83
Vtrum res poſſunt vendi ſecundum pretium loci. ibidem.
Vtrum liceat rem vendere pluſquam ſit empta. 84
DE ſacramento vnctionis extremæ. 85
Vtrum extrema vnctio ſit ſacramẽtum. ibidem.
Quibus ſit extrema vnctio miniſtranda. ibidem.
Quæ ſunt materia & forma extremæ vnctionis. ibidem.
Quæ membra ſunt inungenda. 86

eorum. ibidem

DE ſacramento matrimonij. 89

Vtrum matrimonium ſit ſacramentum. ibidem

Vtrum in eo gratia conferatur. ibidem

Vtrum carnalis copula ſit de eſſentia matrimo. ibidem

Quomodo ſponſalia fiant. 90

Quot modis fiant ſponſalia. ibidem

Vtrum poſsint fieri ſub conditione. ibi.

Quot modis dirimuntur ſponſalia. ibidē

Quo tempore poſſunt ſponſalia cōtrahi. 91

Vtrum carnalis copula per verba de futuro ſubſecuta facit matrimonium. ibidē

Vtrum cōſenſus & verba de præſenti ad matrimonium requiratur. ibidem

Vtrum vnius coniugis conſenſus ſufficiat ad matrimonium. 92

Vtrum non conſentiens poſsit aliam ducere. ibidem

Vtrum multi poſsint contrahere matrimonium. 93

Vtrum per procurationes poſsit matrimonium contrahi. ibidem

Vtrum furioſi & amentes poſsint contrahere matrimo. ibidem

Vtrū conſenſus conditionatus faciat ma

trimonium. ibidem

Vtrum alter coniugũ teneatur alteri ſem per reddere debitum. 94

Vtrum vir teneatur reddere debitum vxori non petenti. 95

Vtrum vxor teneatur reddere debitum viro leproſo, ibidem

Vtrum liceat petere debitum à muliere menſtruoſa. ibidem

Vtrum licitum ſit petere debitum à muliere prægnante. 96

Vtrum ſacris temporibus liceat petere debitum aut reddere. ibidem

Vtrum quilibet vir cuilibet mulieri poſſit per matrimo. copulari. 97

Da matrimonio clandeſtino & quot modis fiat. ibidem

Quot modis impeditur matrimoniũ contrahendum. 97.98

Caſus quibus impeditur & dirimitur contractum matrimo. in generali. 98

Vtrum error perſonæ impediat & dirimat matrimonium. 100

rimat matrimo. 101
Vtrum ſeruus poſsit matri.contrahere ſine licentia domini ſui. 102
Vtrum vir poſsit ſe facere ſeruum inuita vxore. ibidem.
Vtrum filij conditionem matris ſequi debeant aut patris. ibidem.
De impedimento voti.primò quid ſit votum. 103
Et à quibus habeat fieri votum. 104
Vtrum homo ſemper teneatur adimplere quod vouit. ibidem.
Quæ ſunt ꝑſonę quę poſſunt vouere.105
Ad quos pertinet votorũdiſpenſatio.106
Quomodo votum matrimonium impedit & dirimit. ibidem.
De impedimẽto cognationis.quid ſit cõſanguineitas. ibidem.
Vtrum conſanguinei per gradus & lineas diſtinguantur 107
Vtrum conſanguineitas matrimo. dirimat & impediat. ibidem.
Qui gradus excluduntur à matrimonio. 109
De impedimento affinitatis:quid ſit affinitas & vnde dicatur. ibidem.
Vtrum in affinitate ſimiliter gradus & quomodo impedit matrimonium.110

Quomodo procedendum eſt ad dirimẽdum matrimonium. 113.
Affines. ibidem.
De publicæ honeſtatis iuſtiti. quid ſit. 115
Quomodo differt ab affinitate, & quo tẽpore cauſatur, & vtrum impediat matrimonium. 116
De cognatione ſpirituali quid ſit & quomodo cauſetur: & quomodo matrimonium impedit & dirimit. 117
Inter quas perſonas cognatio ſpiritualis contrahitur. ibidem
Vtrũ cognatio ſpiritualis trãſeat ab vno coniugum in alterum. 119
De cognatione legali quid ſit. 121
Quæ perſonæ poſſunt adoptare: quomodo fit adoptatio. 121
Differentia inter adoptionem & arrogationem. ibidem
Quomodo cognatio legalis impediat matrimonium. 122
Inter quas perſonas cognatio legalis impediat matrimonium. ibidem

pter crimen adulterij. 124.
Caſus in quibus non licet vxorem fornicantem dimittere. ibidem
Vtrum proprio iudicio poſsit vir vxorẽ fornicantem dimittere. 125.
Vtrum vir poſsit vxorem fornicantem poſt diuortium reconciliare. 126.
De filiis legitimis & illegitimis. ibid.
Vtrũ filij illegiti. poſsint legitimari. 127.
De diſpari cultu, vtrum fidelis poſsit contrahere cum fide. ibidem
Vtrum fidelis conuerſus teneatur ab infideli coniuge diſce. 128.
Vtrum ſi diſceſſerit ab ea poſsit aliud matrimonium contrahere. ibidem
De impedimento coactionis, & quid ſit metus. 129.
Vtrũ metus cadat in conſtantẽ virũ. 130.
Vtrum conſenſus coactus tollat matrimonium. 131.
Vtrum parentes poſſunt liberos ſuos cogere ad cõtrahendũ matrimoniũ. 132.
De impedimento ordinis. ibidem
Vtrum ſacer ordo impediat matrimonium. ibidem
Vtrum in eccleſia oriẽtali impediat. 133.
De impedimento ligaminis quid ſit. ib.
Vtrum mulier credens virum ſuum eſſe

mortuum poſsit nubere. ibidem
Vtrũ primus teneatur eam recipere quæ ſic nupſit cum ſecundo. 134
De impotentia coeundi. ibidem
Vtrũ frigiditas matrimoniũ ĩpediat. ib.
Quomodo impedimentũ frigiditatis cognoſcatur. 135
De ratione mulieris. ibidem
Vtrum impotentia viri ad virginem matrimonium dirimat. 136
Vtrum ignorans impedimentum coniugis poſsit ab eo ſeparari. ibidem
De impedimento maleficij. 136
Vtrum impediat & tollat matrimonium. ibidem
Vnde maleficium proueniat. 137
Vtrum maleficij impedimentum poſsit per aliud maleficium licitè moueri. ibidem.
Quòd exorciſmi ad illud amouendum non valeant. 138

FINIS.